

4870

2432

N⁶

1730

13

13-02

DISSERTATIO PHILOLOGICA
 DE
 D. PAVLLI IVRISPRVDENTIA
 SIGILLATIM LOCVM SACRVM
 IVSTIFICATIONIS
 PENITVS ENVCLEANTE

P. P

PRAESIDE

GEORG. GVIL. KIRCHMAIERO

POTENTISS. SARMATAR. REGIS ET SAXON
 PRINCIPIS ELECT. CONSILIARIO
 AC PROF. PVBL

RESPONDENTE

M. IO. GOTTLOBIO VVALTERO

PEGAV. MISN. S. THEOL. CVLT

AD DIEM XXVIII IVNI

A. G. CIO ID CC XXX

AVGVSTANAE CONFSSIONIS
 ALTERO SECVLARI SACRO
 IN AVDITORIO MAGNO

VVITTEBERGAE SAX
 EX OFFIC. GERDESIANA





Q. B. V

PRAEFATIO



Quod de Q. Scaeuola Cicero, eloquentiae parens, in Oratore, l. I, dixit, id, summo iure, de Paulo, diuino afflatu concitato N. T. scriptore, conuenit praedicare, eum utique iurisperitorum eloquentissimum, et eloquentium iurisperitissimum fuisse. Nec sic inepte iudicant in dedicatione, qui Aug. Pfeifferi, Lubecensium quondam antistitis sacrorum, theologiam iuridicam, A. MDCC, ediderunt, ubi autor perinde, atque in actione rei amotae, contra Papam, in puncto subtracit laicis, et non consecrantibus clericis, sacri calicis, instituta A. MDCC LXXXV, arctam theologiae et iuris coniunctionem, coniunctionisque usum, tacite commendauit, hocque ad illam tam accommodauit apte, tamque iucunde, ut uniuersae Christianae doctrinae capita, more modoque experiundi in iudiciis, quem uulgo processum dicunt, explanarit. Ipsi forasse, instituto suo, praecituit Georg. Christoph. Valtherus, ICtus superioris seculi haud obscurus, cuius studio sacrarum liber concionum, seu, barbaro uocabulo, postilla theologicouriidica, deberur, ut inde uix credas, theologum ullo pacto posse iuris notitia carere, aut intelligere Paullum sine eruditione. Miror, Sam. Pufendorfio, iure suo feciali diuino, praecipua emendatae religionis dogmata scienter, accurateque ac religiose, complexo talia ne in mentem quidem uenif-

A 2

PRAEFATIO

uenisse, sine quibus sane, seorsim in argumento de iustificatione, oleum et opera perditur, hancque, praeter morem, fere transiisse. Paulli eloquentiam iam dudum, A. C. 130 c. xv, separarim, dissertatione Academica, declarauimus, nunc iurisprudentiam considerabimus, non ea propositi forma, qua usus est olim Io. Sam. Strykius, Ictus, in singulari aliqua exercitatione Academica, Halis Magdeburgicis, eodem temporis, tribus post mensibus, ex occasione scripti nostri, ad disputandum proposita ab autore, post decem annos, ibidem recognita, atque, A. C. 130 c. xxx, Ienae, quarto recusa, cum Germanico titulo, de iurisprudentia Pauli, apostoli, oder, von dem, dass der Apostel Paulus die Rechte wohl verstanden, und auf dieselbe, in seinen Schriften, in mehr, denn achtzig Fällen, sich beruffen hat. Ibi id operam dedit, optimum duces Iustinianum, imperatorem, in institutionibus secutus, ut uniuersam tractationem tribus potissimum capitibus concluderet, quarum primo, de legibus ciuilibus et iure personarum, secundo, de iure rerum, tertio, de iure actionum forensium, ea includuntur, quae, ex epistolis Paullinis, huc pertinent, ac, non sine ingenio, eruta sunt. Et quoniam cum instituto nostro arctissime connexa omittere non licet, praecipua inde delibabimus momenta, et huc, cursim tamen stricimque, bona legentis pace, transferemus. Titulus principum, siue, praedicatio, in iure publico satis nota, Dei gratia, uel, von Gottes Gnaden, sine dubitatione, 1 Cor. III, 10, XV, 10, non magis, ac liberatio legum, de qua Ictus L. 31 ff. de LL. loquitur, Rom. XIII, 1, 3, fundata est, unde cognoscitur, subiectis solum obsequii gloriam relictam esse. Leges ciuiles, uel a principibus non Christianis latae, ciuium conscientias obligant, Rom. XIII, 5, praecipis nempe diuinis, siue, τῶν τοῦ Θεοῦ διατάξεων, non repugnantes, quibus plus parendum, Act. IV, 19, V, 29, illaeque remere resistentibus capitale supplicium minantur, Rom. XIII, 4. Ad ius naturae animum saepius referens Paullus fundamentum ipsius in lege, animis inscripta, recte iacit, Rom. II, 14 et 15, quae, quamuis in infante, aut puero, non manifesto eluceat, propter deficientem rationis usum, aetatis tamen progressu, in generalibus iuris naturalis praecipis, satis apparet. Ius gentium tangitur 1 Cor. V, 1, ubi Corinthiis probrosus incesti crimen obiicitur, idque rectissime dicitur gentibus ignotum, siue, moratarum iuri gentium

con-

contrarium, quod, desinente ita Iustiniano, naturalis ratio inter omnes homines constituit, et, apud omnes populos peraeque custoditur, s. i instit. de I. N. G. et Ciu. De iure personarum, ut instit. l. i tit. 3 inferibitur, sigillatim, de triplici hominum statu, libertatis, ciuitatis et familiae, notandum est, Paullum homines in liberos distribuere et seruos, Ephes. VI, 8, Gal. III, 28, seruisque, uel mysteriis Christianorum initiatis, necessitatem obsequendi imponere, uerò Φόβου, uel τέρου, Ephes. VI, 5, 6, 7, Col. III, 23, dominis uero aequi bonique studium, in eosdem, inculcare, Ephes. VI, 9, Col. IV, 1, III, 25, denique liberos, siue, libertinos, agnoscere, 1. Cor. VII, 22. Quod ad statum ciuitatis attinet, sese non peregrinum, sed natum ciuem Romanum, nominat, Act. XXII, 28, et ad ius ciuitatis Romanae tacite prouocat. Tandem in statu familiae aut filiusfamilias, aut paterfamilias, cernitur, cuius in liberos potestatem Paullus limitibus circumscribit, eorumque institutionem et admonitionem, παιδείαν uel νομοθεσίαν, ipsi commendat, irritationem contra interdicit, Ephes. VI, 4, Coloss. III, 21, liberis cerre obedientiam praecipiens, comm. 1 et 2. At quoniam patriae potestatis fundamentum nuptiae sunt, de mutuis coniugum officiis exponit, Ephes. V, 22, 24, 25, ubi ab uxore obsequia, marito praestanda, exigit, ab hoc uxoris amorem, comparatur Coloss. III, 18, Eph. V, 29. Nuptias, ad libidines extinguendas, suadet 1 Cor. VII, 2, et secundas dissuadet, 1 Cor. VII, 39, haud secus, atque ius Iustinianeuum, Nou. 123, c. 1, in primis sacerdotibus, et uiduis, 1 Timoth. III, 2, V, 9, neque, inter aduersissimae coniugis religionis, impedit, 1 Cor. VII, 13, earumque unculum dissolui, malitiosa deserrione, iudicat, 1 Cor. VII, 15. Nec iuri Romano, uiduae cerum luctus tempus constituenti, repugnat, Rom. VII, 2, 1 Cor. VII, 39. Meminit porro uoDesias, id est, adoptionis, Rom. VIII, 15, Ephes. I, 5, Gal. IV, 5, tutelae item liberorum, a patre procurandae, Gal. IV, 2. Quaestionem, an infans, uel, puer, sub communi uictio notionem, simul ac pater de uita decesserit, illico bonorum plane paternorum dominus fiat, nonnullis dubiam, Romano iuri congruenter, dirimit, Gal. IV, 1, pariter, ac praecipuam administratoris uirtutem in reddendis fideliter rationibus ponit, 1 Cor. IV, 2, Hebr. XIII, 17. Nunc ad secundum tractationis caput, de iure rerum, deueniendum, et, re-

*lectis leuioribus momentis, materia, de testamento, breui per-
 currenda. Hoc morte demum conditoris corroborari, quod,
 uiuo ipso, ad extremum usque spiritum, mutari potest, N. T.
 Ictus rectissime docet, Gal. III, 15, ac dilucidius, Hebr. IX, 16
 et 17, testandi facultatem omnibus recte concedens, posterius
 priori derogare, saepius argumentatur, facta, in exemplum, V.
 et N. comparatione, Hebr. VIII, seqq. et com. 13. Heredes, Ro-
 manorum more, in suos distinguere uidetur et extraneos, illisque
 accurate ascribit filios filiasue, qui, ipso iure, uel inuiti, heredes ha-
 bebantur, inde ratiocinatus, et de τέρτα, καὶ κληρονόμοι, si filii,
 ergo heredes, Rom. VIII, 17, Gal. IV, 7. Sic liberi intestatis
 mortuis parentibus, in bona ipsorum, succedunt, legitimo solum
 matrimonio nati, qui, in iure, ab genitis extra matrimonium, adeo-
 que tam a spuris, quam naturalibus, quos uocant, praecipuo hoc bene-
 ficio, interuoscuntur, Gal. IV, 30. In loco de contractu et pacto,
 ad promissiones Dei saepius se conuertit, dictisque inde fidem fa-
 cit, Rom. IV, 21, 2 Cor. I, 20, Tit. I, 2, ac homines ad praestan-
 da promte, quae debent, cohortatur, Rom. XIII, 7, atque Christi
 milites perinde, ut ius Romanum suos, alienorum prorsus negotio-
 rum uult esse negligentes, 2 Tim. II, 4. Exemplum literarum
 commendatitiarum, quae mandati uim habent, notatu dignum oc-
 currit, epist. ad Philem. comm. 17 et 18, ubi Onesimum adeo commen-
 dat, ut pro ipso spondeat. Obligationem hac formula confirmat
 com. 19. ego, Paullus, scripsi τῆ ἐμῆ χειρὶ, mea manu, quae, ex iu-
 re Romano profecta, eiusmodi est, ut nonnunquam, superiori seculo,
 sola, sine nomine, in diplomatibus imperatorum, aliorumque prin-
 cipum, praesertim Brandenburgensium, suffecerit. Chirographi de-
 mum a Christo deleri, seu, extinctae obligationis, mentio fit Col. II,
 14. Restat argumentum, de iure actionum forensium, quas approbare
 minime uidetur Paullus coram iudice, ueri Dei ignaro, 1 Cor. VI, 7,
 improbatque potius, tanquam ἡτένημα, seu, defectum, non damnat ta-
 men penitus, nec impedit, com. 5, quo minus aliquis, ex nominis
 Christiani consortibus, quos fratres uocat, ad diiudicandas contro-
 uersias, arbiter sumatur, cui et ipsae leges Romanae nihil aduer-
 santur. Feminas, ut more institutoque ueteri, publicorum rume-
 rum minus ducuntur capaces, ita docendi prouincia, in republica, sic
 excludit, γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω, 1 Tim. II, 12, 1 Cor. XIV,*

34, quod uerbum, διδρακων, latius excurrit, nec tantum ad sacerdotes coarctandum. De cautionibus, seu, cautelis, quas Cicero, Tufculan. quaest. declinationem mali, cum ratione coniunctam, uocat, in iudicio, sine uitio, adhibendis, et de dolo bono, egregius extat locus 2 Cor. XII, 16, a Spiritu S. exaratus, ἀλλ' ὑπάρχω πρῶτος, δὲ ἄλλο ὑμῶς ἔλαβον, a Luthero, dieweil ich tückisch war, hab ich euch mit Hinterlist gefangen. Facultatem iniurias iniuriis ulciscendi mutuis, quam ICri retorsionem appellant, prorsus adimit Paullus, Rom. XII, 17, 1 Thess. V, 15, at legitimam iustamque defensionem, suo exemplo, probat, Act. XXIII, 3. Hic non alienum uidetur, docere, mutasse postea, in additamento, sententiam suam Strykium, et contendisse, actionem iniuriarum quamcumque, uel defendendi consilio susceptam, non cadere debere in Christi sectatores, quia cum ipsius, Matth. V, 44, et Paulli, Rom. XII, 14, Boehmeri denique ICristiani, de iniustitia illius, disputantis, scitis pugnaret. Romanum tractandi in foro iuris modum, qui uulgo procellus dici solet, haud reuicit uir diuinus, postquam, ad Tertulli accusationem, litem contestabatur, Act. XXIV, negando partim, quorum criminum insimulabatur, com. 10, iuncto cum § XXV, partim afirmando, quae religionem Christianam attingebant, com. 15. Iudaeis, remissionem sui, ad iudicium Hierosolymitanum, urgentibus exceptionem litis pendens opponerebat, seque aduersario praesentem sisti, κατὰ πρόσωπον, quod barbaris confrontatio enunciat, passus, et debitum ad defensionem spatium nactus, XXV, 16, prouocansque, ex iusto metu, ad Caesarem, com. 11, suspensis sic impeditisque iudicis inferioris actionibus, eo mirrebat, cum literis, ut uocant, dimissoriis, seu, apostolis, Act. XXV, 26, seq. Haec hacenus dignissima mihi uisa sunt, quae, ex dissertatione Strykiana, quanta fieri potuit breuitate, hic colligerentur, quorum consimilia plura, praesertim Paulli, separatim indice formularum, e medio iure peritarum, eodemque operi, nescio cui, inserto, sese comprehendisse, notis in N. F. 1 Cor. III, 15, refert Alex. Morus, hunc ipsum locum, non sine ingenio, inde explanans, ostendensque, ut ἐπιμαθήσεται, multabitur, forensē uerbum est, ita reliqua, σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πρῶτος, non minus esse iudicialia, priscumque, et Graecorum, et Latiorum, respicere iudiciorum ritum, a Valerio Maximo, VIII, 1, notatum, quo alii fulmine tacti, uel, damnati, alii absoluiti,

luti, alii ambusti, id est, non damnati, nec absoluti, uerum ex iudicio, tanquam ex igne, effugientes, dicuntur. Grauium adeo in loquendi genus, in prouerbii consuetudinem abiens, nec uatibus tum antiqui Foederis, Amoso, IV, 11, et Zachariae, III, 2, tum recentis Iudae, com. 22, obscurum, nempe σὺς ἐσθ' ἰδὼν, uel, quod idem hic est, ἐν πνεύματι, ab intelligentibus apte exponitur, aegre ex magno periculo euadere, et ad forum maxime refertur. uideantur Henr. Hammondii et Io. Clerici annotationes in N. T. ad h. l. Graeciae iuxta, ac Latii, autoritatibus munitae. Deinceps iurisprudencia Paulli, principis N. I. doctoris, in fidei sanctioris capite, de iustificacione, manifesto elucebit, qui totum hoc diuinum negotium non aliter, quam actum aliquem forensem, seu, iudiciallem, proponit, ab Io. Gottlieb. Hillingero, sacrorum Vinarientium administro, in processu iustificacionis, Ienae, a. c. 1710 c. c. xxi, Germanice exposito, haud satis, pro dignitate, explicatum. Non autem laudata illius iurisprudencia finibus humani solum fori terminatur, sed ad ipsum Dei tribunal pertinet, rationesque dicendi ibi iuris, in absoluendo laesae maiestatis diuinae reo, declarat, cuius tractatio Deo ei, ἀποδείξει et ἐξηγήσει constabit, remque tam luculenter ante oculos constituet, ut sit exceptio maior omni, et uerae, atque ex intima arte, quoad eius fieri poterit, ductae, ἐξηγήσεως documentum.

Θ Ε C I C I

Δικαίωμα, et δικαίωσις, uulgo *iustificatio*, in facris, est actus Dei forensis.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia forensia, uel, iudicialia, in codice, diuinitus scripto, de eo perhibentur, maxime Paullina, ut κριτής, *iudex*, Act. XXIV, 10, κέρισις, *iudicium*, Io. V, 27, κειτηγορ, *eccusator*, seu, *actor*, Io. V, 45, ὑπόδικος, *reus*, Rom. III, 19, βήμα, *tribunal*, Rom. XIV, 10, μάρτυρ, *testis*, Rom. II, 15, παροπτωμα, *peccatum*, Rom. V, 18, δίκη, *supplicium*, 2 Thessal. I, 9, χειρόγραφον, *chirographum*, Col. II, 14, παράκλητος, *aduocatus*.

tus, 110. 11, 1, ἐγγυος, *sponsor* Hebr. VII, 22, μεσίτης, *mediator*, 1 Tim. II, 5, ἀφεσις, *remissio*, Rom. IV, 7, ἐφέλιμα, *debitum*, Matth. VI, 12, νόμος, *lex*, Rom. III, 20, χάρις, *gratia*, Ephes. II, 8, ἔλεος *misericordia*, Tit. III, 5, καταλλαγὴ, *reconciliatio*, 2 Cor. V, 13, ἀπολυτρωσις, *redemptio*, Rom. III, 24, ἀντίλυτρον, *pretium redemptionis*, 1 Tim. II, 6, δικαιοσύνη, *iustificatio*, seu, *sententia absolutoria*, Rom. V, 16, 18.

E Ξ Η Γ Η C I C

Hoc fidei diuinioris caput, ut totius religionis emendatae fundamentum est atque fulcrum, ita aliunde, quam ex Spiritus S. uocibus, tum singulis, tum coniunctis, quas Graeci Φράσεις reddunt, intelligi, ac contrariae corruptelae rectius et illustrius refutari nullo modo possunt. Quod et, in praecipuis coelestis doctrinae locis, ita uerum est, ut mirum non sit, si Lutherus totam theologiam, si Mart. Chemnitius *ecclesiam*, uelit iubeatque esse tantum Grammaticam, isque ipsi purioris theologiae et ortum, et interitum, haud dubie tribuat, *loc. theolog. c. III, de iustificatione, p. m. 217, et 246*, si denique Salomon Glassius asseueret, tantundem profecto rerum diuinarum scire theologum, quantum is eruerit ex dictionis sacrae intimis recessibus, *in praefatione Grammar*. Sane si uspiam, certe hic, plane liquet, nullum extrinsecus aliunde interpretandi, aut explicandi, subsidium peti debere, sed ex ipsi uocabulorum Graecorum originibus arcessi. Quod superiorum doctores seculorum plerique omnes aut negligentes prorsus, Φιλολογίας minus studiosi, aut leuiter attingentes, Graecumque Codicem ex Hebraico interpretari, uel, ex contextu solum, haud examinatis uocum ponderibus, rem conficere, conantes, uix se expediuerunt aduersariorum nodis, quos tamen facile solueris, si tu ipsa natura linguae, nulla peruersitate detorquenda, pugnes, ac, beneficio illius, mentem Spiritus S. a malitiosae interpretationis calumnia defendas. Nos uero non eam intelligimus Grammaticam, quae literarum elementis, nominum aequae, ac

B

uer-

uerborum, flexionibus, et partium orationis explanatione et constructione, concluditur, puerorumque teritur manibus, uerum, quae in interiora reconditaque λέξεως, alicuius scriptoris penetrat altius, domicilium et uim uocum inquirat, ac locutionum significationes exquirat, proprias a minus propriis internoscit, ueras ab alienis separat, uocabula, loquendique formas, autoris proprias et singulares, quas ἰδιωτισμοῦς uocant, notat, et operam eo confert omnem, ut una oraculi sententia, quam *literalem* uulgus dicit, quaeque abdita saepe est, penitusque retrusa, ex ipsis orationis uisceribus sumatur. Laudatus modo Glassius, philologiae nomine sigillatim et Grammaticam, et Rhetoricam, comprehendit, notissimasque illius partes octo, quibus componitur sermo, persequitur, et, quid, in singulis, scitu pernecessarium, numinis mens prae se ferat, harum tanquam adminiculo, inuestigat et expromit. Apud antiquos amplissimum est Grammatici nomen, a quo Lud. Viues, l. II, p. 71, *de causis corruptar. artium*, laxioribus id terminis describens, non modo literarum et uocum cognitionem, sed ipsarum coagmentationis quoque totius perspicentiam, antiquitatis, historiarum, carminum, ueterum denique scriptorum quorumcunque, euolutionem, requirit. Causa uero, cur uniuersa theologia praedicetur supra Grammatica, haec est, quod de mysteriis diuinis nihil sciri potest, nisi quod, instrumento Grammatices, ex uocibus, uocumque structuris, grauissimarum rerum plenis, demonstratur. Nihilominus memorabilis maxime uox est Chemnitii, theologorum, si a Lutero discesseris, facile principis, *ecclesiam* tantum debere esse Grammaticam, qua dicere uoluit, coetus pie recteque sentientium praeceptiones salutare duntaxat ex germana uocabulorum, hoc illudue indicantium, pendere intelligentia, nec quemquam aut fingere res nouas, aut nouas gignere doctrinas, sed literarum monumentis sacrarum arcitus inhaerere, oportere, ubi, expensis diligenter nullis non momentis, quae huc pertinent, iudicatur prudenter, ne-

glectum uerae Grammaticae scaturiginem quorumuis fuisse errorum, in arduo hoc Christianae religionis negotio, summam sanctioris fidei continente. Sic rabulas nuncupaueris, non peritos iuris, circumforaneos, non medicos, immo uniuerse truncos supitesque, non doctos, qui Grammaticam ignorant, subsidium tam nobile, tamque necessarium, ut, in Pandectis, titulus singularis, atque, in iure Canonico, plures, de uerborum significatione, reperiantur. Quod si eius rei certior esse uelis, adeas, quae so, Io. Caluini lexicon iuridicum, Barnab. Brissonium, de formulis, Reinh. Robbigii codicem et lexic. criticum, Io. Strauchii lexicon particularum iuris, Georg. Casp. Kirchmaieri amoenitates et ueneres Latinitatis ex Pandectis, Academicis aliquot disputationibus expositas, ut Andr. Alciatum, Guil. Pancirollum, Marc. Anton. Murem, Carol. Sigonium, Iac. Cuiacium, Dionys. Gothofredum, Ant. Contium, Io. Seldenum, Andr. Tiraquellum, Guil. Budaeum, Franc. Hotomannum, Iac. Raeuardum, Conr. Ritterhusium, alios, et, ex recentioribus, Christoph. Besoldum, *in thesauro pract.* et Iacob. Speidelium, *in notabilib.* omittamus. Medicinam quod attinet, cunctae eius partes Grammaticum eo magis desiderant efflagitantque, quo minus aut botanicen, aut anatomicen, aut reliquas, quisquam, in illa peregrina arte, satis intelligat, id quod Carol. Patinus, oratione, de necessariis medico humanitatis studiis, Georg. Francus, de medicis philologis, Georg. denique VVolfg. VVedelius, *exercitat. medicophilologicis*, luculenter aperteque testantur. Theologi nomine plane indignus est, qui hoc interpretandi adiuuentum sibi non comparat, sine quo, cum Icaro altius iusto euolans, praecipit in immensam sententiarum uoraginem deturbatur, uixque emerfurus inde haud inueniet, in quo ponat pedem. Sane nostro de argumento nulla ratione existimari potest, nisi ex uocabulis supra allatis, et aliis, quae, si ipsorum latebras perscruteris, ut in iure Romano quasi delitescunt, ita eius propria sunt, et hinc, tanquam

ex domicilio suo, ad hominem, ut cum theologis loquar, et *iustificandum*, et *iustificatum*, in S. Codice, translata, totum *iustificacionis* actum, necessaria consecutione, non possunt non reddere iudicalem, seu, forensam. De Paulo sigillatim commemorandum est, hac in re ita locutum esse, ut iuris Romani peritum inde ipsum agnoscas, aliisque sui ordinis, diuinæ uoluntatis interpretibus, longe anteponas, quorum nullus æternæ salutis negotium tanta perspicuitate aperuit, ut, per Grammaticam, in intimos usque Spiritus S. sensus intrare possimus, ex eaque id depromere, quod ad mentem prorsus perspicendam ualet defendendamque. Quis enim negaret, uoces, quas in *Ἰέσει* posuimus, accusatoris, rei, iudicis, sponforis, chirographi, et sic deinceps, ex iure repetitis, quarum naturalis sedes si minus diligenter consideretur, uis ipsis infertur, eaeque periculosissimas pariunt *ἑτεροδοξίας*. Haec certe doctrinae pestis latius deinde, per uniuersam theologiam, serpit, atque in eius medullis et uisceribus haeret, animos corrumpit, atque sempiternæ damnationis ansas praebet. Quod Chemnitius, nunquam sine laude dicendus, in *exam. concil. Trident.* diuino opere atque inuicto, fufius persequitur, tanta quidem dictionis uenustate et grauitate, ut nemo theologorum, si unum iterum excipias Lutherum, cum illo queat comparari, ac uere dicatur uulgo, posterior ni uenisset, prior haud steterisset Martinus. Huius Lutheri diuina prorsus praefatio in epist. ad Rom. Paullinum forense scripturae genus, in singulis coniunctisque uerbis, praeclare confirmat, quidque lex, *euangelium*, peccatum, poena, gratia, fides, iustitia, bona opera, charitas, ibidem significant, *γρημιματιῶς* docet, argumenti, de *iustificacione*, sacrificium illud incruentum, illaque famosas criminum condonationes, siue, *indulgentias*, penitus euertente, optimus explanator. Ceterum, quod de Deo hic, alibique, *ἀνθρώπου κατὰ ἴδιον*, id est, humano more, pronunciat, *ἰεωπρεπῶς*, modo Deum decente, intelligendum est.

ΘΕCIC II

Θ Ε C I C II

Iustificacionis actus, uel ex uno Spiritus S. uerbo,
 δικαιούσθαι, manifestus fit.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia Paullus, de homine peccante, in gratiam Dei aut
 recipiendo, aut recepto, perpetuo ac singulari usu τοῦ
 δικαιούσθαι delectatur.

Ε Ξ Η Γ Η C I C

Quemadmodum Paulo, inter scriptores, diuino spiritu ta-
 ctos, palma merito defertur, quod unus omnium maxi-
 me salutaris doctrinae mysteria enunciauit, atque ea, quantum
 quidem fieri potuit, suis integumentis euoluit, sic totus *iustifi-*
cationis locus illi debetur, cuius iurisprudencia, in praefatione,
 quampluribus exemplis comprobata, hic non minus arduum
 salutis aeternae negotium Spiritus S. egregie expediuit, quod
 postea attendemus. Cumque adeo, sine dubitatione, do-
 gmatis ipsius sedes ac domicilium sit in epistolis Paullinis
 constitutum, aliunde id explicare minus conuenit, uel, ex
 aliis dictionibus, quam quae ad hoc institutum quasi natae
 sunt, uerendumque oppido est, ne, ni acrem oculorum a-
 ciem huc solum intendamus, nec Paulli ope perinde, ut filo
 Ariadnaeo, utamur, in aduersariorum incidamus labyrin-
 thum. Quod si uero ipsius ore et lingua loquaris, disputef-
 ue, unam ueramque sententiam perfecte assequeris, quae
 tamen nulla esse potest sine uerbis, rerum signis et inuolu-
 cris, iisdemque ideo non negligendis, ne uidearis enuce nucle-
 um esse uelle, ut apud Plautum dicitur, nec frangere nucem. Re-
 cte modo diximus uocabula rerum signa et inuolucra, addi-
 mus, et notas, quandoquidem hae cognosci nullo pacto
 queunt, nisi per illa, quae altissimos saepe habent recessus
 et latebras, unde recondita ibi momenta, magno studio, exquiri
 debent.

debent. Illuftris exempli caufa, tantum pondus in uno uerbo, *δικαιοῦσαι*, pofitum eft, ut, fi uel reliqua defint, integrum iudicalem actum depingat, Latinis fane, et aliis, plerumque, in hoc, praefantibus Graecis, quod haec notionibus polleant multis, plusque faepe indicent una, quam Latinorum plura. Sic simplex Paullinum Latinorum *ῥδ*, iuftum iudicare et declarare, exaequat, quae prima propriaque uis reliquis merito antefertur, ab origine longius feiunctis. Neque tamen a Paulo recens fictum eft atque formatum, neque potestas eius, in re tanti momenti, nuper inuenta, fed utraque, antiquitate Graecorum ultima fundata, Herodoto, Lyfiae, Thucydidi, Sophocli, probantur. Id enim moris eft Spiritui S. ut, nifi prorfus antiqua deficiant, nouis utatur nunquam, ne noua quadam lingua fari uideretur, Graecis omnino incognita, eandemque, nulla autoritate firmatam, peffimi quique homines, quocunq; uellent, mifere, pro libidine, in partes fuas traherent, totamque deprauarent. Minime enim mirandum, fi, tali modo, aduerfarii, in iisque nominatim Pontificii, fcripturam diuiniore nafo cereo, fphingis aenigmati, foliis Sibyllae, Lefbiae regulae flexibili et plumbeae, aliisque rebus, diftortu facilibus, impie comparent, dum fuum quifque interpretationis commentum defendere inde conatur. Quod fieri haud poterit, fi uerba, ex antiquiffima dicendi fcribendique confuetudine, funt manifefta, nec recentem, aut peregrinam aliquam, admittunt explicationem. Et hoc ipfum eft, cur fupra Chemnitius, theologiam, affirmet, tantum debere effe Grammaticam, id eft, ad praeceptiones ueterum recte emendateque dicendi magiftrorum directam, ficque fallacem minime, aut dubiam. Quare et peffilens cenfeatur eruditorum aliquorum opinio, de inufitato N. F. fermone genere, quod non nifi monftra aleret doctrinarum, perpetuasque et acerrimas, de uera dictionis recens natae fententia, contentiones, quibus fortius refifti non poteft, quam fubfidius, ex communi uetufteque loquendi ufu, comparatis.

ΘΕΟΙC

Θ Ε C I C III

Verbum, δικαιούν, sine exceptione loci, forense, per se, ac sua natura, nihil aliud sibi uult, quam iustum pronuntiare, seu, absolueret, aut, remittere delicta.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia 1) opponitur τῷ κατακρίνειν, Rom. V, 18, Ἀποσὺν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα, οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς δικαίωσιν ζωῆς, item, 2) τῷ ἐγκαλεῖν, VIII, 33, Ἦς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεός; Θεός ὁ δικαίων, et 3) coniungitur cum simillimo, et maxime gemino, τῷ ἀφιέναι ἀμαρτίας, Act. XIII, 38, 39, ὑμῶν — ἀφεσις ἀμαρτιῶν καταγγέλλεται, καὶ ἀπὸ πάντων ἧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι.

Ε Ξ Η Γ Η C I C

Graeci, τοῦ δικαιούν, uim nec Latinum, *iustificare*, nec Germanicum, *rechtfertigen*, uel, *gerecht machen*, iuste adaequant, quorum illud nunquam Romanis, sed prisco solum scripturae sanctioris interpreti, doctoribusque Christianorum coetus Latinorum, usu haud improbabili, tritum, plerisque postea in perniciosos induxit errores, ut crederent, idem illud ab aliis, eiusdem generis compositis, e. g. *calefacere*, *frigefacere*, reliquis, non differre, motumque pariter, ac mutationem aliquam naturalem, seu, φυσικὴν, designare, qua, una expulsa *qualitate*, ut, frigoris, alia introducitur, uidelicet, caloris, et uicissim. Hinc Pontificii praecipiant critici, uerba Graeca in ὄω, a nominibus adiectis, clausula ος praeditis, orta, id plurimum efficere re ipsa, quod haec solent sonare, uelut, λευκῶω, πιπερόω, δικαιώω, u. t. l. officio album, amarum, iustum, cetera. At enim uero nugae sunt, atque eruditis plane non satis faciunt admo-

admonita, in angustias tantum aliquot exemplorum conclu-
denda, cum ad originem et usum, quasi proram et puppim
uerae ἐξηγήσεως, nulla non loquendi genera sint reuocanda
exigendaque. uid. Chamierus, *Pansirat. caib. t. III. c. 7. de Iusi*. Haec
duo momenta norma sunt et regula, ad dictionis cuiusuis
diiudicandam proprietatem, quam nisi custodias, hominum
distortione ac deprauatione, huc, illuc, abriperis, nec habe-
bis, ubi consistas. Quare comminisci hic non licet significatio-
nem, quasi idem illud nostrum sit, atque imbuere aliquem
habitu iustitiae, uel, infundere iustitiam inhaerentem, quod
plus, quam barbarum, est, atque in aetatem Latinam omnem
prorsus iniurium, nec, in ipsa Graecorum gente, audi-
tum unquam. Animi profecto discrucior, Io. Ern. Grabi-
um, proh quantum alioqui nomen in quolibet eruditionis stu-
dio, sacrae seorsum antiquitatis, contra Georg. Bullum, An-
glum, *harmoniae apostol. de iustificat. ex operib.* autorem, in dubi-
um uocare forensis expositionem, ac, hoc loco, contrariam
haud felicius defendere, quam sacrificium illud Pontificio-
rum incruentum, in Irenaeo, a se, A. CIO IO CC II, Oxoniae
edito, quippe quæm D. Io. Francisc. Buddeus, tum in *insitut.*
theol. dogmat. tum in *dissertatione de missa*, egregie confutauit.
Ne uero quid dissentientibus affingere uideamur, euoluatur
concil. Trident. sess. VI, c. II, et Bellarminus, *l. II, de iust. c. 7*,
quem Isaac. Casaubonus hominem uocat Graecarum literarum
prorsus ἀμύητον, *exercit. p. 542*, unde facile cognoscitur,
non ex puris Graeciae fontibus, prout debebant, haussisse ex-
plicationem suam, nihili faciendam, sed ex lutosis sordium
Latinarum lacunis. Hoc sane non est, elicere sententiam,
uerum, intrudere, et, obtorto quasi collo, trahere rapereque,
ac nihil absurdius, quam per Latinum explicare Graecum.
Quin uel Φερόσει, non immerito suspecta, Germanorum, *gerecht*
machen, si ad uiuum refecare uelimus, abstinendum esset,
cuius loco potius, ex mente Xenophontis, *l. I, memor. So-*
crat. p. m. 577, δίκαιον νομίζειν, de homine, scribentis, cum
Philip-

Philippo Melanchthone, dicendum, *gerecht schätzen*, u. g. Rom. III, 23, *sie sind alle Sünder, und mangeln der Herrlichkeit, die Gott fordert, sie werden aber gerecht geschätzt*, Rom. IV, 3, *Abraham glaubt, darum ist er gerecht geschätzt* worden, Rom. V, 1, *Weil wir, durch den Glauben, gerecht geschätzt werden.* uid. *Corpus doctrinae, in forma ordinis maioris, anno 1560, Lipsiae editum, p. 60, 63, 65.* Teutonum uoces, *machen et schätzen*, longe a se inuicem distant, quippe quarum illa mutationem saepe crassam, et naturalem, haec declarationem et pronuntiationem, cogitationi subiicit. Ceterum, autore Suida, forense uerbum, *δικαιοῦν*, a τῇ δίκῃ, *iure, iustitia*, ortum, apud Graecos profanos duobus tantum legitur modis, idque aut, pro τῷ δίκαιον νομίζεν, *iustum censere, declarare, pronuntiare*, aut, pro τῷ κολάζεν, *supplicio afficere, usurpatur*, nequaquam dissentiente *etymologici magni* fabricatore, qui, post Eustathium, maximi faciendus, iudicat, duo haec, *ἐδικαιώθησαν, καὶ δίκαιον ἐκείθησαν, ἢ ἐνομίθησαν*, sibi prorsus similia esse. Priscorum doctores seculorum, quos patrum Graecorum nomine ueneramur, τὸ δικαιοῦν, siue, *δικαιοῦνθαι*, hic, uno ore, nunc, per *δικαιον κρίνειν καὶ ἡγείσθαι*, nunc, per *δικαιον ἀποφάινειν*, eloquuntur, adeoque, ringentibus licet pontificiis, usum forensem, ad unum omnes, confirmant. adeatur I. C. Suiceri *thesaurus*. Δίκαιος autem, nulla *hebraismi* labe, quam Io. Vorstius huic aspergit, apud eundem illum Xenophonem, ui sua late fusa, pium, probum et bonum, Graece pureque ante oculos constituit. Tertium Romanensium inuentum nusquam, in tota antiquitate, reperitur, cuius nullam rationem habendam, ineptit Mart. Becanus, sacerdos Ignatianus, causam interferens, *se malle ex sanctis patribus, quam ex Plauto, uel Terentio, discere sensum et interpretationem scripturarum, libro, de iustificat. c. II, qu. V, n. 9.* Ecquis uero unquam nostratum, ut homo nugatur, scripturae diuini Graecae ex Latinis, Plauto, uel Terentio, ad indagandam il-

Ius sententiam, facem, putauit, praefendam. Sed supra iam, argumentis minime fallacibus, ostensum, nunquam Spiritum S. inusitata lingua usum, nec praeter, ac contra, loquendi consuetudinem, scripisse, facileque apparet, si Latine loqui uoluisset, nec aliter, quam Plautum, aut Terentium; aut Ciceronem, aut alium bonae notae scriptorem, locutum fuisse. Rerum enim sanctimoniae sermo profanorum nihil nocet atque officit, qui, ut omnia bona, uerum Deum habet autorem, nec quicquam prae se fert inhonesti, impii, uel maiestatem diuinam minus decentis. Ut de obscuritate nihil dicam, aut ambiguitate plane incredibili, ex ignota oriunda dictione, quae declinari nullo modo potest, nisi uocabula sint notae originis et usus, litaeque sermonis, seu Latini, seu Graeci, si quae incidant, ab antiquitate dirimantur. Magis Thom. Gatakerum, in dissertatione, contra Sebast. Pfochenium, c. VIII, miramur, cui haud religio est, contendere, aduersus Chemnitium, recte sentientem, atque affirmare, *nihil, a quoquam hactenus allatum, comparere, unde, uocis istius usus apostolicus a ueteri lingua Graeca descendisse, comprobetur, ratio, nunquam de persona, seu homine, ipsam, sed de re semper, efferri.* Huic quanquam effato non adeo sum contrarius, quippe haud diffitens, uerbi, τὸ δῆμιον, domicilium in re potissimum esse constitutum, ac maxime idem sibi uelle, atque iustum quid aequumque iudicare, siue iudicium illud sit priuatum, siue publicum, potestas tamen eius iudicialis et uirtus initium illius est ae fundamentum, angustius primum, deinde latius, ad forum permanans, de ipso tandem homine adhiberi coeptum, qui, e. c. Agamemnon, apud Aeschylum, uersu ccc lxxvi, rectus probusque declaratus, et absolutus, a Balth. Stolbergio exponitur. Cui, uel dudum erudito orbi erepto, gratiae immortales, pro scita aptaque poetae Graeci explanatione, debentur, in *exercitat. Graecae linguae, p. 359, seq.* Verba ipsa magni momenti, attinet, hic subiungi,

εὐί

Πρότερον

- - Πρέπει δὲ Φῶς,
 ἀνολωπιτες σίνος,
 κακοῦ δὲ χαλκοῦ τρόπον,
 τρίβω τε καὶ προβολαῖς
 μελωμπαγῆς, πέλει
 δικαιοθεῖς - -

- - fed emicat lux,
 graue lucens noxa,
 et, aeris mali instar,
 attrituque et allifionibus,
 probatus uitiosus
 existit - -

Thom. Stanleius rectius uertit *probatus*, quam alii, *punitus*, sententia prorsus aliena, cum Agamemnon, capta Troia, datoque, per accensam facem, factae expugnationis signo, non puniendus, sed probus iudicandus, erat, et ab nullo non crimine absolueudus, laudandusque. De uoce, *μελωμπαγῆς*, hoc loco suspecta, submonendum quid esset, ni ad institutum satis foret superque, docuisse, uerbum, *δικαιοθεῖς*, in hominem etiam, quod contradicentibus, et sigillatim Gatakero, c. VIII, non placet, conuenire. Nec Chemnitius noster negat, Graecos de causis ipsis, uel, negotiis, id adhibere, cuius uerba Io. Conr. Dietericus, *specim. antiquitat. biblicar. loco I*, sic repetit, quasi scripserit, τὸ δικαιοῦν, apud profanos autores, pro τῷ, accusatum absolueret, et iustum pronuntiare, constanter inueniri. Sed ut hic mentem istius haud recte assecutus est, ita nihilo minus hallucinatur Anglus, quando uocabulum illud, absolutionem significans, non magis Graecum, statuit, quam *iustificare* Latinum, id quod Seb. Castellio, uerbi imitatione Ciceroniani, *turpificare, offic. III, 29*, emollire frustra conatur, *annotat. in Rom. III, 25*. Quo rarior uero istius arridet antiquitati usus, de homine, eo frequentior probatur diuo Paulo, qui, in scholis Ictorum similiter, ac poetarum, philosophorumque, praeclare uersatus, linguam cuiusque callere, ac, in sacris, scienter imitari, suumque inde adornare instruereque genus dicendi, censendus. Equidem maximo id agi opere, miror, a nonnullis, ut Paullinum illud, τὸ δικαιοῦσαι, Aristoteli, nominatum Ethic. V, II, sub notione iudiciali, tribuant, cum non hic sit sermo de qualicumque ipsius forensi usu, sed de potestate sigillatim iustum quem declarandi,

randi, quae in alio, quam Aeschilo, nondum clarius elucet. Nec poetarum dictio, seuerioribus, ob numerum licentiamue, haud satis probata, nobis propterea obstat, quod non minus Graece, quam alii *λογογράφοι*, locuti sunt, et ab ipso Beza, stomachante licet Gatakerō, admittuntur, Matth. XXII, 46, XXIII, 15. At enim, ne nouasse Paullus significationem, putetur, ac ipse fabricasse, Hebraeorum *קִיָּצָה*, *hizdik*, considerabimus, quod, ut ouum ouo, Graeco simile, actum aliquem iudicalem effingit. Hic, Rom. III, ubi argumenti, *iustificacionis*, sedes est, tam propriis fori, seu iudicii, depingitur actionibus, ut homo, peccatorum causa, ante tribunal seuerissimi iudicis constitutus, a lege quidem accusetur, conuincatur, condemnetur, sed, sensu irae Dei sic percussus, ad gratiam eiusdem confugiens, ac fide amplectens mordicus Christi iustitiam, eamque suam faciens, rursus absoluitur, et a lata damnationis sententia liberetur, iustus declaretur, in gratiam uere recipiatur, et hereditate uitae aeternae donetur. Quae diuini forma iudicii ab humano eatenus nil discrepat, quatenus sententia iam damnatus iure, restituitur in integrum, si restituendi causam, aut merita superiora, aut iustitiam ac innocentiam, aut futuram satisfactionem, excipias. Sed nequicquam occurritur nobis a dissentientibus, iustum pronuntari, legitimo in iudicio, neminem, nisi reuera iustum innociumque, nec male sibi conscium, quasi uero non legitime saepe absolueretur etiam nocens, ac reus criminis, si uel non conuictus fuerit, uel actor succubuerit, uel, in casu dubio, sic suaserit aequitas. Ceterum *ῥῆσις* nostra ui oppositorum constat, et conclusio argumenti est firmissimi, hunc in modum perfecti, et partibus suis expleti, quodcunque forensibus uocabulis contrarie opponitur, id ipsum forense sit, oportet, atqui τὸ δικαιῶν opponitur forensibus τοῖς, κατακρίνειν et ἐγκαλέειν, ergo τὸ δικαιῶν ipsum forense sit, oportet. Maior propositio, in natura oppositorum innixa, nullis aduersariorum machinis labefactari potest, et indissolubili

bili connexo ualet. assumptio ex Rom. IIX, 33, 34, liquet, ubi τὸ δικαιοῦν, et τὰ κατακρίνειν et ἐγκαλεῖν, contrario nomine, inter se pugnant haud secus, atque apud Latinos τὰ, accusare, condemnare, et absolueret. Vnde facile conficitur, aut morali, aut naturali, hominis immutationi locum plane relinqui non posse, et effici, ut radices iniustitiae, cum fibris, elidantur, totusque iniustus, quantuscunque est, iustus, bonarumque actionum, Deum sibi obligantium, reddatur planus. Hinc monstrum illud dogmatis, *de bonis operibus*, natum est, tristissimus, proh dolor, neglectae Grammatices effectus. Diuinus Ictus noster, Paullus, in causa animorum tam ardua, sensa Spiritus S. ex Graecorum fontibus iuris illustrauit, atque non umbram iudicii alicuius, sed ueram solidamque effigiem, expressit, ubi reus absoluitur, et iustus pronuntiat. Sic *apologia August. confess. edit. Recbenberg. p. 125*, sic *formula concordiae, p. 585, et 685*, sic a Io. Casp. Suicero, *thesauro eccles.* in medium producti, antiqui coetus Graeci antifistes, accurate reddunt, quod, *pag. 73* laudatae modo *apologiae*, per remissionem peccatorum, declaratur, idque commodissime, cum magnus ipse gentium magister diserte ita commentetur, optimusque uerborum suorum interpres τὸ ἀφιέναι ἀμαρτίας, a τῷ δικαιοῦν, nullo modo distinguat, et alterum altero explicet, Act. XIII, 38, 39. Plenius planiusque, Rom. VI, 7, locutio, *dedικαίωται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας*, *iustificatus a peccatis*, uim uocis exprimit, et a Sebast. Schmidio, scite uertitur proprieque, absoluitur, *colleg. Biblic. postier. p. 211*. Secutus hic fortasse est Seb. Castellionem, literarum Graecarum, in academia Basileensi, seculo XVI, doctorem, cui antefarendus nemo, nemo, si proprium, uarium, purum liquidumque, ac nouem annos elaboratum, conuertendi Latine codicis diuinius genus spectes, par putandus, omnino dignus, qui, instar commentarii, a Io. Francisco Buddeo, ingentis uiro nominis, *isagoge historicotheol. p. 1540*, enixe mericissimoque commendatus, eorum de manibus deponatur nunquam, qui,

simul cum rebus sacris, scribendi elegantiae student, minus sane deterriti accusatione Latinitatis aut nimium profanae, aut in ciuitatem Dei non receptae. Vtinam Er. noster Schmiddius talia illi, ad 1 Tim. VI, 20, haud obiecisset, nec uocasset *nugamenta*, quae, tantum abest, ut uapulent iure, ut potius laudentur eo, quod eximii est translatoris, ita effari, et tradere res, quemadmodum alterius linguae naturalis dictio patitur, postulatue, nec barbaris loquendi modis locum dare. Quid enim impedit, quo minus Graeca, τὰ ἄγγελος, βαπτισμός, reliqua, enuntiemus Latine genium et lotionem, cum turpe sit, et τῶ πρόποντι ἐρμηνευτικῶ maxime contrarium, miscere linguas, earumque confundere naturas, et discrimina tollere, atque idem uocabulum simplex, compositumue, in una, per idem explicare in altera, adeoque obscurum per aequè obscurum, et, peregrinis locutionibus momenti plane nullius, styli, qui omnis a labe immuais sit, corrumpere puritatem: Sanctus ipse Spiritus, quoad eius fieri potuit, in N. F. ad Hebraica Graeca profanorum scriptorum, elutis sordibus, memorabili imitationis artificio, et nonnunquam in ipsis mysteriis, accommodauit, sine uitio, et, saluis uocabulis, significationes aut mitigaui duras, aut nouas ipsis, summa necessitate flagitante, imposuit, nec tamen uim sermoni intulit, neque ignotum aliquem confinxit, autor ipse cuiuscunque et opifex. Contra ea Ciceronianorum, uti nominantur, nonnullorum formulae, u. c. aqua lustralis, pro *baptismate*, sanctificum frustulum, pro sacra coena, aliae, nimis detortae, reique male congruentes, et a uera oraculorum sententia alienissimae, merito improbantur. Ne autem Castellio extranea, *angelum, synagogam, fidem, baptismum, baptizare*, cetera, tanquam insolentia in Latinis nomina, prae domesticis, fugere prorsus uideatur, leguntur ea passim in recenti Instrumento, ipsumque uerbum, τὸ δικαιοῦσαι, nunc *iustificari*, nunc iustum fieri, nunc insontem, nunc absolui, iucunda admodum uarietate, ibi explanatum. aduocetur huc praeclara ipsius *defensio*,

fensio, contra Theodor. Bezam, digna oppido, quae nuperae editioni Lipsiensi, cum annotationibus limatis, adiici debuisset. Denique ex illis, quae supra ostendimus, *קדש* conficitur certissimus, quoties V. Testamenti Hebraeum, *קדש*, *Zadik*, in *Piel* et *Hiphil*, Graecum Noui, *δικαιοῦσαι*, in longe difficillima *iustificacionis* materie, se offerunt, toties utrumque idem est, atque absolui, et iustum censei pronuntiarie, contra, quoties Graecum, extra hoc sanctissimae fidei caput, occurrit, toties ubique Latine debet efferrri per *τὸ*, iustum agnosci, existimari et celebrari. Tali pacto multas tolles difficultates, ac euitabis molestias ambiguitatis. Atque etsi interdum Spiritus S. aliquantum migrare uideatur uerbi potestatem, non tamen ab origine sua longius abit, sed natiuam usquequaque iudiciale tuetur, adeoque locos, e. g. Matth. XI, 19, Luc. VII, 29, X, 29, XVI, 15, Rom. III, 4, 1 Tim. III, 16, communiter, de attributione iustitiae laudis, uult intellectos, quod, si recte expendas, aequae ualet, atque iustum appellare, et laudare, quodque a Luthero, facile omnium Teutonicorum interpretum principe, modo exprimitur *rechtsfertigen*, modo, *rechtsgeben*. Nec Abrah. Calouii, in *Bibliis illustrat.* monitum omnino nullum est, cum uocem *iustificacionis*, asseuerat, diuinis in oraculis, tum ratione Dei, tum ratione hominum, in deterius mutari nunquam, nec degenerare in uitium aliquod, cuius in explanatione ambo theologi Lipsiensem, D. Henr. Klauingius, et D. Salom. Deylingius, conscriptis separatim, et ex instituto, de illa, Lipsiae, A. MDCCXXVII, et VVittebergae, A. MDCCXI, dissertationibus, occupati fuerunt. In extremo, praeter ceteros, Balth. Stolbergius, nostras, *exercit. VIII*, denuo hic summopere praedicandus est, criticus sane, et artis suae, et doctrinae coelestis purioris, quae a se inuicem diuelli non debent, tam intelligens, ut contexendo *systemati philologico-theologico*, cunctis numeris partibusque absoluto, ac summae eruditorum expectationi facienti satis, nemo quisquam aut externorum, aut domesticorum, magis par esse potuisset.

⊙ ECIC

Θ Ε C I C IV

Tοῦ δικαιοῦν, siue, δικαιούσθαι, συνώνυμα sunt maxime forensia, λογίζεσθαι, οὐ μὴ λογίζεσθαι, imputare, non imputare, καταλλάττειν, reconciliare, σώζειν, seruare, ἀφιέναι ἀμαρτίας, χαρίζεσθαι παραπτώματα, remittere, condonare, peccata, reliqua.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia, Rom. IV, 3, 4, 5, 8, V, 10, Coloss. II, 13, Tit. III, 5; loquendi formulae, ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην, κ. τ. λ. οὐ μὴ λογίσται κύριος ἀμαρτίαν --- χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, --- ἔσωσεν ἡμᾶς, Act. XIII, 38, 39, ἀφεσις ἀμαρτιῶν --- δικαιωθῆναι, cetera, perinde ualent, ac simplex uocabulum, τὸ δικαιοῦν, siue, δικαιούσθαι.

Ε Ξ Η Γ Η C I C

Tὸ λογίζεσθαι, Rom. IV, quo illustrissimum Abrahami et Davidis exemplum fufus proponitur, undecies iteratur, et Hebraeorum **בשה**, *chafschabb*, prorsus respondet, atque arithmeticae proprium est, idem primum significans, quod ratiocinari, et supputare. Deinde tantundem efficit, quantum Latinorum **Φρέσις**, in rationibus putare, in rationes, aut censum, referre, idque uel ut solutum, uel pro soluto habitum, Germanice, *zurechnen*, *einrechnen*, *anrechnen*, *zuschreiben*, atque ad institutum nostrum sic quadrat, ut iustitia Christi, sincera fide apprehensa, nostris rationibus, quae, per se, nullius omnino sunt momenti, ascribatur, et non secus, ac nostra, aestimetur. Quod graue religionis momentum nec ueteribus piis latuisse, exemplo sit Bernhardus, *satisfactio unius*, inquit, *omnibus imputatur*, ep. CXC. Latinum quidem, imputare, aurei seculi ignorat elegantia, cui potius, attribuere, assignare, ascribere, ad iudicare, annumerare, acceptum ferre, et Sebast. Castellioni,

iu.

iustitiae ducere, iustitiam tribuere, placuit. Nec quicquam aduersus Casp. Scioppium, Famiano Stradae uerbi minus uenusti usum, in *infamia p. 42, seq.* exprobrantem, obtinet Olaus Borrichius, qui, ex Ouidio et Catone, auctoritatem affert, non omni tamen exceptione maiorem. Ab argenteae potissimum aetatis scriptoribus, Suetonio, Tacito, Iuuenali, Plinio, Quintiliano, et aliis inferioris aevi, frequentatum; tradit Isaac. Casaubonus, ad Suetonii Tiber. c. 53, notione plane inaudita, ut perinde sit, ac, pro beneficio alicuius, agere gratias. Idque tanto magis recte cognoscendum est, quanto magis in usu habent theologi, uera coelestis oris dogmata edocti, iustitiam Christi *imputatiuam*, quae, ne aduersariis deridiculo sit, ex Spiritus S. dictione est diiudicanda. Rident hic ideo pontificii, quia imputatione iustitiae, id est, innocentiae et sanctitatis Christi, pessimi hominis iniustitiam, id est, delicta, aboleri, tam ineptum, credunt, immo nefas dictu, quam si pulcherrima alterius ueste indutus quis, scabie ulceribusque foedissimus, existimaretur pro pulchro et sano, porroque instant, non exterius, et aduentitium, sed interius, respiciendum esse, quod iustitiam inhaerentem, aut infusum iustitiae habitum, uocant, ipsorum *iustificacionis* fundamentum. Hanc plane gratiam Dei promereri, sibi conciliare, et, actionibus perfectis, deuincire, plusque praestare, quam exigatur, arroganter sibi persuasum habent, et, in magna uirium suarum fiducia desixi, coelum digito attingunt. Atque adeo hanc doctrinam si pestem dixeris, ac perniciem, saniorum praeceptionum, uerum dices, quippe quae hominem et securum, et de integrae incorruptaeque *iustificacionis* negotio leuiter sentientem, et sua ipsius uirtute tumidum reddit turgidumque. Iustus enim, in iudicio Dei, euadere nemo potest, sine condonatione peccatorum, et, nisi obtineat adipiscaturque Christi iustitiam, ne Abrahamus quidem ipse, ac Dauid, sanctissimi, et, ad agendum recte, dotibus diuinis instructissimi, siue, ut theologi loquuntur, summe *renouari*,

D

uir,

uiri, quorum ille, a diuo Paulo, *pater* dicitur *fidei*, hic feruus praedicatur Dei totus, ipsique perquam gratus atque acceptus, ambo tamen sanctimonia sua, quae, inter homines, perfectissima habebatur, nolebant iudicari, ne damnarentur: Quo de argumento copiose non magis, quam enucleate ac neruose praecipit Chemnitius, *exam. concil. Trident.* quem, omnium instar, hic laudasse, satis sit. Igitur τὰ δικαιῶν et ἀφιέναι ἀμαρτίας, paria faciunt, et, ex se, gignunt καταλλάττειν et σώζειν, necessaria prorsus consecutione, ut, qui a delictis absoluitur, ei remittantur delicta, isque reconcilietur Deo, et feruetur. Matthaei quoque δέν, ligare, et λύειν, soluere, c. XVI, 19, XVIII, 18, huc spectant, quae singula sunt forensia, propositoque nostro egregie inseruiunt. Quod ad ceteros N. F. scriptores attinet, memoratu profecto dignum est, Petrum et Ioannem, in suis literarum monumentis, a Paullinis, τοῖς δικαιῶν, δικαιώματα, δικαιώσις, si uel maxime de *iusificatione* sermo institueretur, studio abstinuisset, aliisque potius notionibus, ac simplicioribus, et uocabulis, et formulis, rem designasse. Namque, dictionis loco forensis, semper in ore habent τὰ σώζειν καὶ ἀφιέναι ἀμαρτίας, aut, circuitione aliqua, pluriumque coagmentatione uerborum, Paulli mentem illustrant, ut Io. III, 16, 17, 18, 1 Ioh. III, 14, reliqua. Si ingenio uelimus indulgere, ac circumspicere causam, quam obrem hoc factum fuerit, non aliam sane licet inuenire, quam quod Spiritus S. ad iuris peritiam illius sese accommodarit, qui unus omnium subtilissime, et arti suae conuenienter congruenterque, de loco principe differuit, et quidem ex infuturo, tantaque industria, ut in intimos penetrauerit iuris recessus, et ex his eruerit necessariam totius rei cognitionem, eamque tam planam, ut philosophiae spinis haud indigeat, eam quippe nonnunquam magis implicantis, quam explicantis, et, a limpidis scripturae diuinae fontibus, ad impuros riuulos, abducentis. Chemnitium, ducem, in his, alibique, sequamur, qui a sacrorum norma uerborum ne transuersum quidem un-

guem

quem discedit, indeque omnia sua doctrinae extruit fundamenta.

Θ Ε C Ι C V

Nomina, per se subsistentia, *δικαίωμα*, *δικαιώσις*, *δικαιοσύνη*, in capite, de *iustificacione*, naturam iuris perpetuo obtinent.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia Paullinae illae loquendi rationes ex stirpe ortae sunt, quae tantum ad forum pertinet, nec, nisi iudiciale dicendi genus, producit.

Ε Ξ Η Γ Η C Ι C

Δικη quasi parens est omnium, quae inde oriuntur, uocum, iisque generalem significationem iuris atque iustitiae ingenerat, et ab Aristotele definitur, *ἡ κρισις τῆς δικαίου, καὶ ἀδίκου*, hoc est, iudicium iusti et iniusti, Eth. V, 6, cuius retinentissimus est sacer stylus, conflatis inde formulis, *ἀπὲρ θεοῦ δίκην κατὰ τινα*, Act. XXV, 15, *δίκην τιαν*, 2. Theff. I, 9, *ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἶασε*, Act. XXVIII, 4. uid. Iulius Pollux, VII, 1, *περὶ δικασμῶν ὀνομάτων*. Nec ICtus noster innatam hanc uim, fori propriam, et scriptoribus quibusuis usitatum, negligit, eamque, in tribus, supra allatis, uerborum ponderibus accuratam et singularem considerandi rationem postulat, quae, nisi argute distinxeris, explicauerisque, difficilia sunt intellectu, et iustitiam Dei incredibiliter obscurant, totamque materiem, de *iustificacione*, peruertunt. Equidem dissimulandum non est, haud aliam illa induisse potestatem, nec ab origine sua diuersam, ad sensa tamen Spiritus S. aptatam, et ad feram explicationem, quae cadere non poterant in hominum intelligentiam profanorum, *δικαίωμα* accipientium duntaxat pro iuste facto, ut reliqua praetereamus, enata inde dictionis momenta, quae huc nequaquam pertinent. Et quis, aut maleuolentia tam suffusus, aut gnauiter impudens,

aut iudicii expers, sanctissimo linguarum autori daret crimini, quod ne opificibus quidem negatum est, qui, artis suae explicandae causa, uel noua prorsus uocabula adornant, uel nouas saltem notiones, quas ille ipse, sua ad mysteria, non fidiculis quasi torsit, sed, haud repugnante uocis cuiusque natura, neruose inflexit, suasque fecit, ut in *ιδιωτισμοῖς* Spiritus S. merito numerarentur. Hi si singulis Graeciae perinde, ac Latii, scriptoribus, sine uitio, uindicantur, si speciatim, autore Suida, Apollonius, *περὶ λέξεων Ομηρικῶν*, Timaeus et Boethius, *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων*, Phrynichus, memorante Athenaeo, *περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἰσορκοῖς λέξεων*, si, teste Wouuerio, *c. IX, de polymath.* plures de singularibus, ac uni tantum usitatis, dicendi rationibus, separatis libris, exponunt, cur in sacram adeo dictionem debacchemur, eamque, uaria Hebraeorum imitatione, temere excusamus, aut, cur indignemur, si uocum adstrictius uinculum, in diuinis, laxetur aptis modis. Agedum uideamus, quid nomina, in iisque primum *δικαίωμα* sibi uelit, quod generatim significat, quicquid *ἐδικαίωσεν ὁ Θεός*, id est, iustum et rectum pronuntiauit Deus, siue lege naturali, siue morali, siue *ceremoniali*, siue forensi, contineretur, idque in diuiniore scriptura, in profanis uero tantumdem pollet, ut supra diximus, quantum iuste factum. Quae sane uocabuli significatio, apud autores, multo patet latius, quam ceterae, quas hic tangere, non operae pretium, duco. Huius loci notio est terribissima Castellionis, delictorum absolutio, *barbare iustificatio*, Rom. V, 16. Alterum, *δικαίωσις*, a Suida, apud Lysiam, enarratur *δικαιολογία*, i. e. causae defensio, idque nec a mente scribentis epistolam ad Rom. V, 18, abit, ubi damnationi opponitur *iustificatio*, seu, absolutio, nec eatenus a τῷ *δικαίωμα* differt, et semel in N. F. adhibetur. Tertium, *δικαιοσύνη*, non omnino nullum exhibens negotium, per se, et sua natura, iustitiam notat, eamque uirtutem, quae ab Aristotele, Polit. III, 13, *κοινὴ* dicitur, ἢ *πάσας ἀναγκαστῶν ἀκολουθεῖν τὰς ἄλλας*, hoc est,

est, quam omnes aliae uirtutes necessario consequuntur, siue, Theognidis effato, u. CXLVII, ἐν δὲ δικαιοσύνη συλλυβδην παῖσ' ἀρετῆ' ἔσι, *iustitia in sese uirtutem complectitur omnem.* At stylo Spiritus S. uniuerse conuenientiam cum iustitia diuina denotat, sigillatim benignitatem, bonitatem, gratiam et misericordiam, dignumque est, quod paullo subtilius exquiratur. Chemnitius hic usum linguae uulgaris Graecae plane reiicit, ac notae uocis immutationem Hebraeis proprie attribuit, plurimisque in locis Testamenti maxime ueteris stabilit, et, loco iustitiae, usurpat, Pf. LI, 16, LXIX, 28, LXXI, 2, CXLIII, 1, aliisque prope innumerabilibus. Hinc septuaginta uiri, hactali locutione affluet, quoties ibi misericordiae incidit mentio, fere reddunt δικαιοσύνην, Genes. XIX, 19, XX, 13, XXI, 23, XXXII, 10, cetera, non tamen perpetua, hunc in modum, interpretandi regula, quae Pf. XXIV, 5, Eccl. XLV, 24, Ier. XXXIII, 16, Rom. V, 21, alibique, fallit, ualetque tum praesertim, cum de iustitia euangelii, non, nisi benignitatem, profitentis, nec de iustitia legis feuerissima, sermo est, cuius sane discriminis ratio in primis habenda. Ego uero, ut supra, sic sentio, animumque induco, dictionem Graecam a Spiritu S. non adeo immutari solere, ut noua plane, et ab origine sua profus aliena, immo ipsi contraria, affingatur potestas, uerum, temperari illam duntaxat, et ad sacra, hominumque captum longe excedentia, adhiberi, aptissimaque ratione traduci. Atqui δικαιοσύνη, a τῷ δικαίος orta, naturam suae stirpis, siue, *concreti*, ut scholae loquuntur philosophorum, eiusdemque significationes, inter alias, bonitatis et benignitatis, tanquam *abstractum*, tuetur ac propagat. uideat. M. Georgii, abscripti ordin. Philos. V Vitteberg. literatissima differtat. de Hebraicis, dictioni N. F. immerito affectis, S. XIII, ac XIV. Et id ipsum est, cur Latini, et in his Terentius, Cicero, Nepos, Sallustius, alii, iustitiam, lenitatem, clementiam, mansuetudinem, tenacissimo unius eiusdemque notionis unculo, colligent, et, haud dubia Graecorum imitatione, secum exaequent. Non equidem diffiteor, mi-

rabilem admodum uideri iustitiae et lenitatis concordiam, quippe cum homo iustus, iustitiae rigori, iurisque, facturus factus, uix lenis esse possit, in Deo tamen utraque amicissime conspirat, ac iustitia eius, erga homines, propter Christum, deprecatores, cum clementia et misericordia commiscetur prorsus et commutatur, ut temere Hebraicum ex eo confingas, quod cum Graecis et Latinis est commune. Aliis compluribus significandi modis operam dat Io. Casp. Suicerus, in thesauro, e patribus Graecis concinnato. Tandem, ut multa in pauca conferam, iustitia huius loci est, ratione Dei, gratia, bonitas et misericordia, grauiusque Germanice effertur, *Gottes Gerechtigkeit*, ratione nostri, iustitia Christi, uera fide accepta, nobis imputata, uindictaque, et, sine uitio, arrogata, siue, ut Lutherus scite uertit, *die Gerechtigkeit, die vor Gott gilt*. In hoc summa consistit instituti nostri salutaris, quod, facillimo negotio, sic expeditur, ut caueas tamen, ne existimes, iustitiam, tali pacto, plane amittere naturam suam, quae, ut in Deo stabilis est et immutabilis, ac nunquam perit, nec mortalibus potest tribui, ita, ob Christi iustitiam, id est, obedientiam, plenamque satisfactionem, pro nobis praestitam, in gratiam abit conuertiturque tota. Iustitiae enim Dei, eiusdemque legi iudiciariae, diuinitus patefactae, debitum solui, oportebat, cui quidem hominis uires, primorum horrenda prolapsione parentum pessundatae, planeque corruptae, pares non erant, succurrat tamen Christi perpeffio, et perfecta expletio, patrisque placatio, ut is, nihil minus, quam seueritati suae morem gerens, absolueret, reciperet in gratiam, liberaret et defenderet, alienam, hoc est, Christi iustitiam amplectentem, sibi que assumentem, quemadmodum multa Spiritus S. oracula docent. Quae solatiorum genera cessarent prorsus, nobisque deessent, nisi ex purissimis dictionis ipsius haurirentur fontibus, et sic nostrae sempiternae confuleretur saluti, cuius, sine seruatoris optimi, maximi, beneficio, praesentissimum naufragium fuisset.

Θ Ε C I C VI

Πίσις, fides, in hoc sacro doctrinae genere, fiduciae certae et firmae sustinet uim, atque declarat.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia dicitur ὑπόστασις, Ebr. XI, 1, πληροφωγία, Ebr. VI, 11, πεποιθήσις, Eph. III, 12, παρρησία, Eph. III, 12, ἔλεγχος, Ebr. XI, 1.

Ε Ξ Η Γ Η C I C

Ad uim, id est, effecta causasque, fidei, ut theologi uocant, *iustificantis* exprimendam pariter, ac percipiendam, Paullus exquisitissima adhibuit uocabula illa, quae rem ipsam ita aperiunt, ut oculis cernere possis. Ne uero nescias, quid momenti in ea insit, notes, uelim, esse illam promissionis, de gratuita noxarum condonatione, propter Christum, singularem cuiusque ad se accommodationem, tribusque absolui adminiculis, uidelicet, notitia, assensu et fiducia, quae, una πίσεως notione, arctissime constringuntur. Eadem haec, in monumentis sacris, nuncupatur nunc Christi, nunc in Christo, nunc erga Christum, uel Graece, πίσις, et πιστεύειν, ἐν, εἰς ἐπί, πρὸς, Χριστόν, ut is materia una solaqua sit, in qua fides uersetur, altissimisque defixa radicibus innitatur. Neque noua est eius, in Θεσει, descriptio, sed praescis Graecis iam tum quam maxime usu comprobata, in iisque sigillatim Polybio, cuius etiam uocabulum Paullinum, τὸ πίσον, 1 Tim. I, 15, censetur, quod certum, exploratum quid continet et compertum. uid. disput. nostra, de παραλληλισμῶ N. Foederis et Polybii, p. 48, seq. Igitur a Io. Conr. Schvvarzio, not. in Io. Olearii dissertat. de stylo N. T. merito castigantur, qui, extra antiquae Graeciae fines, apud Hebraeos solum, talis originem significationis circumspicunt, cuius, suo iam tempore, ἐν ταῖς γνώμαις, u. DCCCXXIX, meminit, ac τὴν πίσιν τῇ ἀπισίᾳ, fiduciam diffidentiae, contrariam fecit Theognis, Hoerati, Platoni, Xenophonti, Aristoteli, Plutarcho, et aliis magni nominis Graecis, adamatius sen-

ten-

tentiarum autor. Quod si hic non satisfaciatur, praeter Aristotelis locos, a Schvvarzio indagatos, Thucydidis, Attici historici, non unus luculentissimus, de fiducia, testis est, quorum alter legitur l. I, § 120, p. 66, *edit Hudson*. ubi τῆ πίσει scholiastes, illustrationis causa, in notis subiicit τῷ Ἰάρρει, et, n. 22, ad ἐνθυμῆται γὰρ, explanationi suae conuenienter, disserit, alter l. II, § 81, p. 132, τὰ, πῖσένειν et Ἰάρρειν, paria plane, ostendit, ut Aelianum, XIII, 38, relinquam intactum. Inde πῖσός, *fretus*, agendi forma, pro credente, seu, confidente, antiquitus reperitur. Sequitur, ut uideamus, cur, in ἀποδείξει, fides aliter atque aliter appelletur, utpote quae a Paulo primum dicitur ὑπόστασις ἐλπίζομένων, idque a Luthero, *eine gewisse Zuversicht* des, *das man hoffen*, ab aliis minus commode, *eine Grundfesse*, ab Emsero ridicule, *eine Habe derer Dinge, die wir hoffen*, a Latinis peritioribus rectissime, sperandorum, uel, speratorum, immota fiducia, transfertur. Operae pretium est, tribus uerbis rescare ad uiuum, quod, sententia altius quaesita, coacta, nec apta satis, modo *substantia*, a Molinaeo, Erasino, Tigurina, Piscatore, Valla, Iunio, Vulgato, Chrysostomo, scholiasta Graeco, reliquis, modo *subsistentia*, ab Estio, Menochio, Tirino, Ribera, Gomaro, Svicero, modo expectatio, a Camerario, Hammond, Grotio, expositum est, quodque sic quidem materiam, de fide salutari, utcunque illustrat, tamen in ipsius arcem haud ingreditur, nec Spiritus S. mentem, pro eo, ac conuenit, aperit, qui ad significationum nullam aliam quasi digitum intendit, quam ad constantis fiduciae Polybianam militarem l. V, c. 53, pag. 691, *edit Gronou*. διακατέχε τὴν ἐπιφορὰν τῶν ἐχθρῶν οὐχ οὕτω τὴν δύναμιν, ὥς τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ ἢ τόλμην καταπεπληγμένων τῶν ὑπεναντιῶν, *irruentium hostium impetum inhibuit, quos non adeo uis Coclitis, ut praesentia animi, constantiaque, siue, constans fiducia, et audacia, admiratione defixit*, item, p. 440, at Rhodii, ubi cernunt τὴν τῶν Βυζαντιῶν ὑπόστασιν, *constantem fiduciam Byzantium*. Eandem interpretationem desiderat Hebraicus loquen-

usus, nempe pro adiecto subsistens nomen ponendi, ἐν τῇ ὑποστάσει τούτῃ τῆς καυχίσεως, in hac constantis fiducia plena gloriatione, 2 Cor. IX, 4, cum pluribus tamen gentibus, quod merum Hebraismum perimit, communis. Ceterum, stupidus sit, oportet, quin intelligat, quod alias, in παραλληλισμῷ N. Foederis et Polybii, peruicimus, Spiritum S. Polybianis delectari, et cum primis huius Graecae uocis consuetudine, quae historici istius propria est non minus, atque aduerbium, idem sonans, τοῦ δὲ βασιλέως ὑποστατικῶς φήσαντος, rege uero constanter et fidenter respondente, V, 16, p. 508. Ne autem opineris, sine ratione, pro lubitu, ac fortuito, ex pluribus illis, hanc delectam esse notionem, scias, institutum nostrum id curare usquequaque, ut, idoneis instrumentis ἐρμηνευτικῶς, quibus plerisque interpretum uulgus destituitur, primum significationes uariae inuestigentur, natiuae a tralatis deinde separantur, tum ad ἀναλογίαν doctrinae coelestis, id est, ad dogmata salutis aeternae summe necessaria, certis stabilita oraculis, apertissima quaeque accommodentur, et his illa demonstrantur pariter, atque corroborantur. Sic, exempli gratia, ὑπόστασις, in definitione fidei Paullina, supra uertitur modo *substantia*, modo *subsistentia*, modo expectatio, modo subiectio, modo fiducia, quod sane ultimum dictionis momentum, prae ceteris, idcirco perplacuit, quia rem exprimit, uocabulis πληροφροσύνης, ποιότησεως, πεποιθήσεως, ἐλέγχου, designatam, quorum singula animum reddunt confidentem, in eoque pariunt fiduciam, ex istis conflata, certe, ad genus significandum, propiorum, quam aut *substantia*, aut *subsistentia*. Dic enim fides, quidnam sit sperandorum *substantia*, siue *subsistentia*, aliud, quam rerum, quae adhuc sperantur expectanturue, praesentia, quod sibi contrarium dictu uidetur, et mirum, a Castellione, contra annotationem suam, Hebr. XI, 1, admitti probarique, in editione nupera Lipsiensis. Et quanquam expectatio dilucidius quid est; uim tamen fiduciae haud exaequat, quae immota plane est, atque in rem praesentem nos adducit, et heroes esse iubet, id est,

E

ma-

magnos et erectos, ac firmum ponere pedem, nec ullum perti-
 meicere impetum. Πληροφορίαν deinceps consideranti mihi oc-
 currit statim locus Paullinus, Rom. XIV, 5, *ἐκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοί*
πληροφορέσθω, in tralatione ueteri inepte redditus Lati-
 ne, *unusquisque in suo sensu abundet*, rectius a Lutherō, *ein ieg-*
licher sey in seiner Meinung gewiß, qui utique me mouet, ut
 originem uocabulorum, πληροφορέιν, πληροφορέσθαι, πληροφο-
 ρείας, paullo repetam altius, uindicemque a corruptelis
 eorum praefertim, qui quaelibet docendi licentiam inde
 fulciunt. Multae, non diffiteor, commentationes in Poli *sy-*
nopsi criticorum extant ad h. l. singularis item et quaestio, et
 responso, inter orationes Melanchthonianas, *tomō VII, p. 668,*
seqq. edit. Seru. sed pleraeque istae inanes sunt, et Budaeanae
 enodationi, omnium accuratissimae, cedunt. Ετυμον ponunt pro
 certo, quod fallax prorsus est, unde similitudines, nescio quas,
 fingunt a nauium uelis, uento plenis, et ad rem, pingui Minerua,
 ut aiunt, detorquent. At enim, cum uerborum uirtus aut ex ori-
 gine, aut ex usu scriptorum, quod praecipuum est criticorum
 adminiculum, sit cognoscenda, missa illa, quae incerta plane est,
 atque incerti sensus, in hoc ueram notionem inuestigemus.
 Πληροφοροῦμαι, patiens forma, in unius, quod sciam, Isocratis
Trapeziticō sic reperitur, *ἐμέ, πολλῶν ἀκουόντων, ἔξαερνον*
πληροφορηθεῖς γεγενησθαι, μηδέν κεκτησθαι, i. e. explana-
 tore Budaeo, *cum comperisset, me, et certo sciret, pluribus audi-*
entibus, negasse, quicquam me possidere, adeoque πληροφοροῦμαι
 ibidem perinde est, ac compertum habeo, et certissime no-
 ui, *commen. Gr. linguae, p. m. 386*, eaque interpretatio τοῦ, πληρο-
 φορηθεῖς, Rom. IV, 21, et τοῦ, πληροφορέσθω, XIV, 5, de homi-
 ne adhibetur, sententiae certo expertoque, non minus, quam
 de re, certo demonstrata, et testimoniis comprobata, quem-
 admodum τῇ πληροφορημένῳ πραγμάτων, Luc. I, 1, *πλη-*
ροφόρησον, 2 Tim. IV, 5. πληροφορηθῆ, IV, 17, accuratissime ex-
 poni debent. Πληροφορεῖν, agendi potestate, semel effertur
 2 Tim. IV, 5, et, in toto linguae Graecae, nobis notae, ambi-
 tu,

tu, nihil aliud praestat, quam barbarum illud, *certificare*, siue, *certiorare*, ueteribus ICtis, minus cultis, usitatum, in iisque potissimum Vlpiano, qui Pandectas, non incomtum alioqui Latinitatis opus, ualde deformarunt. Hinc *πληροφορία* nascitur, persuasionem complexa, quae, ex certissimis, planeque conuincentibus argumentis, confecta, tantam rei scientiam in animo gignit, ut homo eam non solum intelligat planissime, ipsique assentiat, sed et uoluntate in eam feratur omni, nec ullo dimoueatur loco. Quare Hesychius, doctissimus criticus, non tantum Graecae, uerum orientis etiam, eruditionis thesaurum expromens, τὴν πληροφορίαν et βεβαιότητα pro una eademque habet uoce, et hanc Guil. Budaeus pulchre firmitatem uertit et constantiam, quod huius loci est, ac propositionem nostram suffulcit, et proprium Paulli uocabulum, quater obuium, πληροφορίαν τῆς συνέσεως, Col. II, 2, τῆς ἐλπίδος, Ebr. VI, 11, πίστεως, X, 22, perspicuum facit. Lutherus Germanice eloquitur, *gewisslich, fest behalten, völig*, quae singula firmitatis notae sunt, et ad naturam fidei praeclare declarandam pertinent. Sequitur enim necessario, ut, qui persuasus est, firmus sit et constans, ac re, perspecta sibi explorataque, confidat. Vagantur hic, haesitant, nec sibimet constant ipsi, qui auctoritatem Hesychii deserunt, et, nescio quid, ingenius suis excogitant, a Spiritus S. proposito remotissimum. Namque cui, uel deliranti, ueniret in mentem absorta illa intelligendi loci Paullini, πληροφορίαν, ratio, per uerbum, abundare, ineptissimum, quo uitur conuersio antiqua, fallax pontificiorum regula, ad quam praecipua dogmata sua, spretis diuinorum literarum fontibus, male exigentes, misere decipiuntur. Suicerus, in *thesauro*, secundo loco, τὰ πληροφορεῖν καὶ πληροῦν, πληροφορίαν καὶ πληρότητα, in unum quasi redigit, unaque implendi et consummandi notione includit, et eam, sigillatim ex Chrysostomo, confirmat. Diserte hic scribit, ad 2 Tim. IV, 5, τὴν διακονίαν σου πληροφορήσον, **ΤΟΥΤΕΣΙ, ΠΛΗΡΩΣΟΝ**, item, IV, 17, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα

E 2

πληρο-

πληροφορηθῆ, **ΤΟΥΤΕΣΙ, ΠΛΗΡΩΘῆ**, ipsius tamen ueneratione haud moueor, ut ab Erasino nostro Schmidio dissentiam, cui, nec male, potius uisum fuit, utrumque effari, per τὸ, plenam fidem facere. componantur Eduardi Leighii *crit. sacra*. Idem de uocabulo, πεποιθησις, dicendum, quod ex modo infinito, πεποιθέναι, confidere, uarie, iam cum εἰς, uel ἐπί, τινα, iam cum ἐπί τινι, iam cum ἐν τινι, constructo, manat, ac per suasionem in se habet, fiduciae et securitatis plenam diciturque Germanice, Luthero magistro, *eine Zuversicht*. Phauorin. quidem Varinus, in *commentariis linguae Graecae*, ex Eustathio, Hesychio, Suida et scholiastis, compositis, illius usum Graecis denegat profanis, sed, ut nobis uideretur, audacius, cum non sit uerisimile, Paullum frequentasse in Graecia nunquam auditum, adhibitumue. Neque minus improbatu temere a Phrynico, apud Claud. Salmasium, de *Hellenistica*, p. 99, hunc in modum, πεποιθησις, οὐκ εἰρηται, ἀλλ' ἦτοι πιστεύειν, ἢ πεποιθέναι, h. e. *non dicitur πεποιθησις, sed aut credere, aut confidere*. Eustathius Od. B, p. 1430, 17, aliqua percenset nomina, a uerbo oriunda, quae, augmentum eius, ut Grammatici loquuntur, retentionia, huiusmodi sunt, πεποιθησις, ἄματα, ἐγρήγορος, ὀπωπῆ, ἀντιπεπονθός, quorum πεποιθησιω cum Ciceroniano uerbo, recens facta, confidentiam, commutares. Latine aut firmam animi confisionem respicit, aut persuasionem, quae sola quidem fidem, uel fiduciam, non procreat, nec cum uocibus constructa insolenter, persuasionem habeo Christo, respondet τῷ, fidem habeo Christo, aut, fiduciam habeo in Christo collocatam, sique de fide, paucis locis, accipitur, haud secus, ac pars pro toto, intelligitur. uideatur Seb. Castellionis *annot. ad Eph. III, 25*. Porro πίσις, ad Eph. III, 12, uocatur παρρησία, quo nullum grauius praestantiusque, in Graecorum lingua, suppetit, quippe non solum audaciam, modo laudati iudicio, et summam dicendi libertatem, formidinis plane expertem, origini suae πᾶν et βῶ conuenienter, sed et fiduciam, fugerit

gerit. Quamobrem ab Hesychio, cum ἐξουσία, ἀδεία, potestate, uacuitate timoris, comparatur, nec uero est uitium aliquod, sed uirtus, in eo posita, ut generatim animo magno quis alacrique, et omnis periculi securo, atque iustae causae praesidio tectus, agat, praesertim, nullo offensae metu, palam, aperte, fortiter, loquatur. Quod si breuius quid amamus, apud Isidorum Pelusiotam, παρέξουσία ἐστὶν ἢ ἐπὶ τοῖς καλλίστοις ἔντολμος ἀπολογία, in rebus optimis, inrepida defensio, epist. cclxxxxi, l. V, p. 645, aut si grauius quid, apud Chrysofomum legitur, παρέξουσία ἐστὶν, ὅταν κινδύνων καὶ θανάτων κατατολμᾷ τις, καὶ Φιλίας, καὶ ἀπεχθείας ὑπεροχῆ, ὑπὲρ τῶν δοκούντων τῷ Θεῷ, homil. V, in epist. ad Philipp. p. 30. Non facile est dictu, quantopere Spiritus S. hac minus uulgari locutione, eiusque similibus, gaudeat, et uarie utatur, dicatque modo, ἐν παρέξουσία, modo, μετὰ παρέξουσίας, modo, παρέξουσία, quae cuncta aduerbio, παρέξουσιαιδῆς, περιφράσει, Graecis optimis grata, declarantur, et a Luthero efferruntur, frey, offenbar, öffentlich, mit Freudigkeit, ac uniuersa Germanis eine Freyheit, ein unerschrockner Muth, eine Hertzhaftigkeit, eine Dreistigkeit im Reden, enunciantur. Huc technicorum praecceptum pertinet, adiecta nomina utriusque numeri, tum masculini, tum feminei, tum neutrius, generis, pariter, et substantia, casu dandi et accusandi, naturam saepe aduerbii induunt. Praeterea, Henr. Hammondus hic nouas plane comminiscitur τῆς παρέξουσίας notiones, quas non attendemus, Io. VI, 4. Orator inde debet esse παρέξουσιαιδῆς, de quo parens, beate defunctus, disputationem quondam, anno MDCLXXXIX, mensis Iulio, V Vittebergae, publice habuit. Hinc uerbum, παρέξουσιαιζομαι, proficiscitur, Lucae cum primis, in actibus, ac Paulo, uitatum, Est ergo πίσις h. l. παρέξουσία, seu facultas, in rebus fidei Christianae, liberrimo animo, hoc est, intrepide, nullaque omnino periculi formidine, et agendi, et loquendi, adeo, ut religionem tuam, ubi opus fuerit, non dissimules, sed, coram hominibus, palam et aperte, profitearis, iubente Christo, Matth. X, 31, 32, neque Diabolum extimescas. Denique ἑλεγχος, Ebr. XI, 1

Theophylacto est δειξις, καὶ φανέρωσις, ἀδήλων πραγμάτων, eademque fuscipit demonstrationem, quae conuincat argumentis, ut, uel τοῖς μὴ βλέπομένοις, ac uero, non euidenti, coelesti quadam ui impulsus, non possis non assentiri. Et hoc ipsum est, quod, uberiori uernaculae dictionis filo, dilatauit Lutherus, *und nicht zweifelt an dem, das man nicht sehet.* nam, qui, ademptis prorsus scrupulis, conuictus est, siue, rationum momentis quasi fractus superatusque, non dubitat amplius, sed certo credit confiditque. Idem uocabulum, cum coniugatis suis elegantioribus, seorsum, τῶ ἐλέγχων, non tam conuincendi, quam redarguendi, uim habet, et nomen ab H. Stephano, *concordant. N. T.* potissimum uertitur, minus quidem ornate, at neruose, *redargutio*, Latinius tamen a G. I. Vossio, *refutatio*, reprehensio, *de uitiis L. L. III, 41, et etymolog. p. 43.* Quae talis significatio, per scriptores, tum sacros, tum profanos, latissime patet, atque in foro et disputationibus maxime ualet, nec aliud apud Paullum, Graece doctissimum, 2 Tim. III, 16, submonentem, πάντα γραφὴ θεόπνευτος ὡφέλιμος πρὸς ἐλεγχον, siue, nostra lingua, *zur Strafe*, indicat, quam quod Plato, sermonibus suis ἐλεγκτικοῖς, non, ut perperam scribitur, ἐλεγκτικῶς, hoc est, uertente Quintiliano, ad coarguendos, qui contra disputant, compositis, indicauit, ut partim codicem sacrum similiter inde diceret ἐλεγκτικόν, seu Latine, ad refellendos aduersarios, diuinitus exaratum. comparetur I. C. Suiceri *thesaurus*, et H. Stephani *glossarium*, quod, ad coelum, laudibus, non sine causa, eruditi tollunt, plurimis N. F. uocabulis, uel ab interprete antiquo, uel ab architecto ipso, refertum. Ex his igitur, quae hactenus commemorauimus, uocum momentis, satis superque apparet, quanta uis sit fidei *iustificantis*, quae in fiducia certa et firma, id est, in persuasione, contra sensum et rationis, immo ipsius experientiae, repugnantiam, inque promissione gratiae diuinae, *euangelio* patefacta, sic insistit, ut eam homo, magno animi motu, uehementique uoluntatis inclinatione, appetat, apprehendat atque recipiat, ad salutem aeternam

nam consequendam. Fiducia autem illa, semper sibi constans, nec mobilis, ex oppositis, διακρίσεως, διαίρεσιν, et μεταωρίσεως, quae dubitationem continent, luculentius elucet, praesertim ex μεταωρίσεως, Luc. XII, 29, quod, a natua significatione meteorum cuiusdam, in superiori aeris regione, huc, illuc, oberrantis, ac plane uagi, ad animum profus incertum, suspensum, sollicitum, traducitur. Ergo uera fides, quae huc spectat, non sit leuis aliqua opinio, aut persuasio qualiscunque, nec dubitet, aut haesitet, sed firmum figat uestigium in iustitia Christi, eamque amplectetur, sibi que uindictet, et in ipsa tantopere innitatur, ut nullo modo inde se patiatu depelli. His argumentis tanti roboris, tantorumque neruorum, ex dictione Spiritus S. depromtis, confutari oportet acerrimos quosque aduersarios, qui, aperto ueluti Marte, aduersus nos contendunt, atque, speciatim in decretis concilii Tridentini, *canone* non uno, diris deuouent de fide certum quid, firmumque ac fiduciae plenum, asseuerantem, cum id, ex sententia ipsorum profligata, propter hominis infirmitatem, ulla ratione fieri, nec possit, nec debeat, atque adeo dubitatio illa potius pro uirtute fidei, fundamento et ornamento, sit habenda. Ne uero, cum ratione sana, pugnare uideantur, si credere et dubitare, manifesto contraria, una in sede locent, coniungantque, illud, in generalissimis promissionibus gratiae diuinae, tantum concedunt, hoc, in ipsarum accommodatione et attributione singulari, magna contentione, requirunt, et, in locum fiduciae, spem solum substitunt fallacem ancipitemque. Difficile est ad loquendum, quantum oracula, quae supra, in ἀποδείξει, proponuntur, conuellerentur contradicentes, modo hominis, pollicitatione sibi quasi soli diuinitus facta, confidentis, humilitatem, imbecillitatem, indignitatem, modo superbiam et arrogantiam, modo securitatem, nimis exaggeratam, obiicentes, et ad scripturae etiam sacrae locos prouocantes, eosque, aut deprauatos, aut uix extantes, cuius generis est tritus ille Eccles. IX, 1, quasi nos, in *ἴσως*, fidem doceremus, quae nullis plane scrupulis tentaretur.

taretur. Quamvis enim Spiritus S. de huius firmitate sentiat magnifice, attamen, ne quis nimium sit securus, aut sibi praefidens, conflictari ipsum, necesse est, cum perpetuis infirmitatibus, ac Dei auxilium expetere, remediisque uti, ad tuendam illam mordicus, ac corroborandam, necessariis. Nostrae sententiae maximum pondus affert elegans praeteriti temporis usus, soli Paulo in N. T. usitatus, et cum Demosthene communis, *πέπεισμαι*, Rom. VIII, 38, cui Latinum congruit, persuasusum, persuasum habeo, tanta rei scientia, ut nullus omnino haesitationi relinquatur locus, nec minus Germanicum, *ich bin gewiß*, unde *πεποίθησις* natum. Non equidem diffiteor, aut repugno Bellarmino, persuasionem uulgarem interdum probabilem, ac coniecturae similem, occurrere in rebus humanis, sed, in diuinis, pernego, testante id τοῦ αἰδα coniunctione cum *πέπεισμαι*, Rom. XIV, 14, itemque conuersione Teutonica, *ich weiß, und bins gewiß, in dem HErrn Iesu*, planissimeque ostendente, aut, bardum esse, oportere, aut irreligiosum sane, qui mentem sic loquentis, omninoque diaboli ac corruptae hominis naturae tentationibus superiorem, uel non intelligat, uel, Paullum, uocabulis, persuasionis uim agentibus, ludere, putet, in negotio animorum arduo. Etenim, aut statuendum est, uerba illa Graeca perpetua cum dubitatione esse coniuncta, aut hic certe, ubi res agitur sempiternae hominum salutis, non, nisi certum quid exploratum ue, significare. Nec negligenda, hoc loco, alia, iuri affinia, ueluti ἀρραβών, 2 Cor. I, 22, et σφραγίς εἶσαι, obsignari, Ephes. I, 13, quorum utriusque usus est translatus, illudque generatim pignus, seu, certum signum accipiendi, quod ad rei promissae, uel acquisitae, possessionem attinet, hoc certissimam huius confirmationem, sigillo impresso factam, ante oculos ponit. In mentem demum hic uenit, recordari receptionis, uel, ut uulgo uocant, apprehensionis gratiae diuinae, propter Christum, contingentis, quam tres Spiritus S. uoces, λαμβάνειν, καταλαμβάνειν ac παραλαμβάνειν, claro lumine, collustrant, Io. I, 5, 11, 12, in iisque haec a Paulo, Col. II, 6, exquisita,

sita. Quod ad primum, τὸ λαμβάνειν, attinet, incredibile dictu est, quanta in eo uis insit, ut Erasmi Schmidius, ornamentum quondam Academiae nostratis, duos et quadraginta, ad Matth. XXVI, 26, loquendi modos ex poetis, historicis, oratoribus, philosophis, manifesto sane indicio, et scriptores profanos, in iisque poetas, qui non minus ad perfectam sermonis notitiam conferunt, in subsidium perspiciendae mentis diuinae, aduocandos esse, conquisiuerit, pari studio τὸ, παραλαμβάνειν, Matth. I, 20, et τὸ, καταλαμβάνειν, Io. I, 5, perscrutatus, tamque subtiliter, ut nihil facile reliqui fecerit, quod ad contextum sacrae dictionis interest. Perpensis trium horum uocabulorum notionibus, in itaque recte instituti ratione, nostra est, quae facultatem habet recipiendi id, quod ab alio offertur atque traditur. Receptio uero promissae oblatæque Dei gratiae, Christi meritis fundatae, non tam hominum Grammatica agendi, quam Spiritus S. propria hic, ueraque, patiendi, significatione praedita est, instar mendici, qui, bene sibi fieri, patitur, quemque non acceptio stipis, sed stipis ipsa, ditat. Memorabilis maxime locus est Paulinus, et Grammaticam diuiniorem egregie illuminat, Gal. IV, 9, ubi primum Galatas nominat γινόντες Θεόν, cognoscentes Deum, eoque actionem ipsis tribuere uidetur, quam deinde potius, per ἐπανόρθωσιν, cum perpeffione ita commutat, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, immo uero cogniti suis a Deo. Addatur alius perluculentus, Philipp. III, 12, de fiducia, potissima fidei parte, qua bene dicitur tum apprehendere Paullus, stylo summi Numinis, cum apprehenditur a Iesu Christo, hisce in uerbis, διόκω δὲ, εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ καταλήφθην ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, ne uel minimum relinquatur momentum uoluntati hominis cuiuscunque, qui, ubi aliquid salutis suae dicatur agere, soli duntaxat Deo tribuendum, nihil aliud agere putandus est, quam ut audiât Spiritum S. nec ipsi resistat. confer. Sal. Glassius, phil. S. I, III, tract. III, can. XXII, num. 4.

Θ Ε C I C VII

Χάρις, seu gratia, hoc loco, misericordiae Dei aequiparatur.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia explanatur per τὸν ἔλεον, id est, misericordiam, Eph. II, 4, 5, ὁ δὲ θεός, πλοῦσιος ὢν ἐν ἐλέει, διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ ἦν ἠγάπησεν ἡμᾶς, κ. τ. λ. Tit. III, 5, ἀλλὰ, κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον, ἔσωσεν ἡμᾶς, Ebr. IV, 16, ἵνα λάβωμεν ἔλεον, καὶ χάριν εὐρωμεν, κ. τ. λ.

Ε Ξ Η Γ Η C I C

Actum sane esset de pura integraque capitis nostri sanctionis sententia, si Grammaticam negligere uellemus, qua tamen hic nullo prorsus modo possumus carere, cum, tot Pelagianorum trices et pontificiorum, impediatur argumentum, ut, sine istius subsidio, nequicquam te expedire coneris. Primum autem omnium est excutiendum, quid significet χάρις illa, et utrum Spiritus S. propria sit, an aliis quoque Graecis perspecta cognitaque. Vulgo Graecum, χάρις, quod gratiam, donum, remunerationem, seu, praemium, interpretantur, iis rebus, de quibus praedicatur, tantam vim affert, eamque aut naturalem insitamque, aut extrinsecus assumptam, ut inde fiant gratiae, placeantque, cuius exemplum se offert Coloss. IV, 6, ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἀλατὴ ἡστυμένος, i. e. *sermo uester semper sit suavis, sale conditus.* Haec uocis explicatio, tanquam maximorum mater errorum, ab hoc loco tantopere arcenda est, cum homo nihil habeat, quod Dei beneuolentiam ad se alliceat, atque promereatur, ut κεχαριτωμένη, apud Luc. I, 28, agendi potestate, ad feminam, quasi gratia plenam, eamque aliis donantem, repugnantem licet uerbi patientis natura, ab aduersariis, pessime rapiatur, qui in hoc, non, quod pueri in faba, se se, putant, reperisse, sed sat graue argumentum pro Maria, gratia Dei abundante, superfluumque aliis liberaliter dilargiente, et a Deo impetrante, ac, quod omnium est uitiosissimum, quendam adorationis cultum inde sibi acquirente. At enim ue-

ro salua res est, si *κεχαριτωμένη* uertatur, gratia affecta, *die be-
gnadete*, et, quod huic consequens est, *die holdselige*, seu, *an-
genehme*, quemamodum Chrysoſtomus *ἐχαρίτωσεν*, Ephes. I, 6,
per, *ἐπέπεσόντες, ἐπιχαρίταις, ἑαυτῶ ποθεινούς τὸ, ἐποίησε*, exponit.
Vtinam ex profanis nobis suppeteret huius uerbi autoritas, non
a deo, de sana ipsius sententia, foret laborandum. Nec tamen
dicendum temere, a Luca, aut Paulo, politionibus N. T. scri-
ptoribus, nouatum illud, aut factum, esse, quandoquidem Si-
racides, dudum ante, idem, eademque notione, sic adhibuit,
ἀνὴρ κεχαριτωμένος, XVIII, 17, nec ideo dubitandum, uere istud
in Graecia natum esse, et a ueris Graecis usurpatum, licet
ipſorum interciderint scripta, unde usus probabiliter doceri
posset. Relictis illis significationibus, quas Graecorum uocabu-
lorum explanatores, Suidas et Varinus, per *τὴν δωρεάν, καὶ αυ-
τιχάρην, ἡδονήν*, uel, *τέφην*, exprimunt, eam comprobamus,
quae, beneuolentiam profus immeritam, ac fauorem, de-
notans, quibusdam exemplis, ex Plutarcho, Demosthene,
Euripide, a Chemnitio confirmatur, *LL. theol. p. II, p. m.
280*. In suis nonnullis loquendi formulis Graios imitan-
tur Latini, uelut, gratiam alicuius sibi conciliare, aucupari,
consequi, reliqua. Nec eadem Germanis deest dicendi ratio,
cines Gnade, i. e. *Gunst und Wohlgerogenheit erlangen*, quae
saepius contingit, sine ulla causa mouente, aut impellente,
sponte, ac gratis. Haec tamen cum gratia Dei comparari non
potest, cuius fundamentum est misericordia, qua Deus, pro-
pter Christum, hominem, peccatis inquinatum, poenitentem
tamen, et sincera fiducia ad se confugientem, recipit in gra-
tiam, i. e. stylo nostro forensi, absoluit et iustum pronunciat.
Quod sane mysterium, ut omnem rationis humanae captum
longissime superat, ac, nullo modo, in hominis intelligentiam
cadere potest, ita, in toto linguae profanae domicilio, nequic-
quam uerbum quaeras, mentis diuinae sensus consentaneum.
Quapropter *τῆς χάριτος* uis singularis, eaque aduentitia ac no-
ua, ad *ἰδιωτισμὸν* Spiritus S. tantum pertinet, qui, in V. T. *יְרַחֵם,
chanan*, gratia profecutus fuit, uel, affecit, frequenter, a septuaginta
Graecis, et Latinis, in uerba, *ἐλέη*, et misereri, conuersus,
nulla

nulla certe sacrae locutionis corruptela, quia, in uniuersa scripturae uulgaris natura, huiusmodi deficiebat uocis potestas, licebatque, idcirco, sanctissimis uiris eodem iure uti, quo usi sunt et alii Graeci, uel in fabricandis nouis dicendi generibus, uel in notionibus augendis. In recenti Testamento duorum maxime ratio habenda est, gratiae primum, deinde doni, quae, etsi a Paulo, Rom. V, 15, 16, 17, uno loco ponuntur numeroque, ut *χάρις, χάρισμα, δάσημα, δωρεά*, idem ibi ualeant, tamen in mysteriis, quae theologi appellant, *iustificacionis et renouationis*, caute sunt subtiliterque distinguenda, haud secus, ac causa et effectus, quorum alterum ad misericordiam, ac redundantem inde condonationem delictorum, et reconciliationem, alterum ad actiones uirtutum Christianarum, quibus bona opera nomen est, spectat, utrumque uero, arctius nexum, tenacissimo uinculo, cohaeret. Contra ea labuntur turpiter pontificii, quod, uocabula Graeca ad peiorem partem deflectentes, ipsam gratiam, pro uirtute, quae gratum quid facit, secundum communem usum, accipiunt, eiusque fundamentum in homine, recte honesteque uiuendi studio, ponunt, quod tamen in Deo solum collocandum foret. Audiamus ipsum Spiritum S. optimum interpretem uerborum suorum, qui *τὴν χάριν* cum misericordia, 1 Tim. I, 2, 2 Tim. I, 2, cum benignitate et charitate, Tit. III, 5, 7, cum bonitate, Eph. II, 7, amicissime conspirantem, copulat, et adducta pro idem significantibus habet. Explicationi nostrae non exiguum pondus addit uis *τοῦ, χαρίζομαι*, usu sacro triti ac peruagati, nominatim Paulo, notioneque donandi et condonandi plerumque praediti, cuius generis memoratu dignus est locus Luc. VII, 42, Eph. IV, 32, Coloss. II, 13. Cumque adeo *χαρίζομαι*, ac condonare, siue, remittere peccata, siue, ut Lilius loquitur, erratorum gratiam facere, paria faciant, iudicatu facile est, originem uerbi illius Graeci, *τὴν χάριν*, remissionem peccatorum indicare, non aliunde, quam ex misericordia, profectam. Circumspectis igitur rebus cunctis, ac rationibus subductis, summam nunc facio cogitationum mearum, colligoque ex dictis hactenus, in capite

pite fidei purioris, de *iustificacione*, nihil prorsus loci meritis, aut laudabilibus hominis actionibus, concedendum, sed omne illius momentum ex gratuita misericordia Dei pendere, qui perfectissimam Christi satisfactionem, iustitiamque, morte huius partam, homini poenitenti, eamque, sibi oblatam, firma amplexanti fiducia, ascribit, et ipsum crimine absolvit, iustum pronunciat, in gratiam recipit, purgatis animi facultatibus, renouat, ac Spiritu S. eiusque donis instruit, et, ad omne bonum opus, perfectum reddit, ac tandem aeterna uita impertit. Mirum denique, Io. Casp. Suicerum τῆς χάριτος notionem singularem, in *thesauro* suo, haud attendisse.

Θ Ε C I C VIII

Δωρεάν, gratis, lingua Spiritus S. est sine ullo merito, et sine ulla causa.

Α Π Ο Δ Ε Ι Ξ Ι C

Quia *iustificatio* hominis peccantis, et gloria Dei destituti, fit
 1) τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, Rom. III, 21, 28, 2) χωρὶς νόμου --
 χωρὶς ἐργων νόμου, Rom. III, 21, 28, 3) τῶ μὴ ἐργαζομένῳ, Rom. IV, 5.

Ε Ξ Η Γ Η C I C

Dici satis non potest, quantum pondus, quantaque uis, in τῷ, δωρεάν, posita sit, ut, idcirco, diuus Paullus non satis habuerit, dixisse, hominem iustum fieri τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, sed his adiecerit, δωρεάν, Rom. III, 2, 4, cum absurda consecutione, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἐστὶ γίνεται χάρις, Rom. XI, 6. Hoc usu, non natura, aut origine, aduerbium, cum praepositio, κατὰ, tacite subfit, Graecis profanis haud ignotum est, apud quos aduici solita, seu, ἐπίθετα, in utroque numero tum uirilis, tum femineae, tum neutrius, generis, pariter, ac per se subsistentia, casu dandi et accusandi, saepe naturam aduerbii asciscunt. Apud Latinos seculi Augustei tantundem pollet, quantum gratis, gratuito, i. e. sine pretio, praemioque, uel, ut Germanis in ore est, *umsonst*, quae sane pressior adstrictiorque notio, in sacris utriusque Instrumenti tabulis, Graece compositis, ualde laxatur, ac, praeter illam significationem, a septuaginta interpretibus sacri

codicis Hebraei, uocabulum accipitur pro Latinorum loquendi formulis, sine iusta ratione, frustra, temere, ex leuitate, uel petulantia, sine merito, aut ulla causa mouente, quarum exempla aliquot Chemnitius, *LL. theol. p. II, p. m. 292*, collegit, et a Lutthero partim, *vergeblich, ohne Ursache*, partim, *ohne, und wieder, Verdienst*, pulchre redduntur. $\Delta\omega\pi\epsilon\sigma\iota\nu$ nunc ultimam postulat explanationem, quam Spiritus S. unus solusque, nobis quasi dicat, praecipitque sua lingua, in homine, ut dicitur, *iustificando*, ab dignitate omni, merito denique omni, aut alio, quicquid inhaerere dicitur, prorsus exclusam, idque non iniuria, quod illius tota natura est corrupta, ac digna potius ira Dei, et ultricibus flammis. Atque adeo nec Graecia profana, nec Latium, uocabulum habet, quod Hebraeo, כִּינָם , *chinam*, aut $\tau\acute{\omega}$, $\delta\omega\pi\epsilon\sigma\iota\nu$, plane respondeat, tot quippe significationum foecundo, quot supra percensuimus. Vnde firmissimum particulae excludentis, sola, robur existit, quam, in Lutheri tralatione, cunctis quidem machinis oppugnant dissidentes, cum primis pontificii, at uano irritoque euentu, cum inter se non pugnet, siue cum Paulo dicas, gratia Dei, iusti reddimur gratis, hoc est, sine merito nostro, siue, sine operibus legis, siue, nihil, ex praescripto legis, operantes, sola Dei gratia, iusti euadimus. Quas sane propositiones pro *aequipollentibus*, seu, prorsus sibi similibus, ac, re ipsa, unum sonantibus idemque, si non habere uelis, nihilo plus agas, cum illo Terentii, quam si operam des, ut, cum ratione, infanias. Quocirca Paulli mentem recte sic explicamus, quemadmodum significauimus, addimusque hic, Deum, iustos facientem nos, ne leuissimam quidem, tenuissimamque, sui mouendi, sui que facti, rationem in nobis reperire, longissimeque facessere hinc, atque, in malam rem, abire, nos iubere illos, cum suis bonis operibus, quae, in doctrina nostra salutari, quamuis nihili aestimemus, immo detestemur, a uera tamen, uti calumniantur, uiuaque fide, non separamus, uerum distincte consideramus, sic duntaxat in Dei gratia, uel, misericordia, Christi que meritis, desixi, nulloque uirtutum auxilio freti, cuius alias nos, iusti nimirum facti, renouati que, indigemus.

T A N T V M.

ORNATISSIMO HVMANISSIMOQVE
M. RESPONDENTI

P R A E S E S

S. D

Ex inferis nuper prodiit in lucem, sine nomine autoris, loci et *typographi*, famosum quoddam scriptum, quo D. Gottlieb VVernsdorffius, nostras, et Gottfridus Arnoldus, *in regno*, ut uocatur uulgo, *mor- tuorum*, inducuntur colloquentes, simul et istius fama, et Academiae honos, more modoque scurrarum, laceffitur, tanta quidem procacitate et petulantia, ut illius fabricator iustam bonorum omnium offensam incurrat. Hanc, p. 14, criminatur promiscue calumniator fanaticus, honorum, sigillatim sapientiae et bonarum artium, distributionem solennem, tanquam ingens fulcrum *amicbristianismi*, eandemque quasi sacrosanctam, et mysterii plenam, una cum aliis academicis, ex crassis superioris aevi tenebris emerfis, non sine magna turpitudine, et piaculo, retinuisse, idque lucri causa, nec magis ornamento, aut commendationi, esse, quam dedecori opprobrioue. At enim facit homuncio ille nae intelligendo, ut nihil intelligat, cum satis certum sit, languere uirtutem, sine praemio, et torpere prorsus, ac stipitem esse, et truncum, qui honore, meritis cuiusque suis debito, sine ambitionis uitio, non afficiatur. Britannia sane magna, ut eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis, affluit, ita, illustrissimo exemplo suo, Academiam nostratam, cui, a maledicentissimis aduersariis, numerus magistrorum amplior splendidiorque, quam Latheri tempore, criminose obicitur, quasi in paucitate, aut multitudine, quaerendum aliquod singulare eruditionis momentum sit, ac inde iudicandum, tacite

tacite quasi uindicat, et tuetur. Sciant enim, inuidia-
que rumpantur, ut Codro ilia, duobus abhinc annis, in
academia Cantabrigensi, mense Maio, inspectante Rege, ac
laetante, GEORGIO II, praesidenteque duce Sommerfer-
tio, LIX theologiae, XLIX iuris, LVIII artis salutaris, XLIX
philosophiae, praeter IX *baccalaureos*, ut barbare appellan-
tur, primi ordinis, IX secundi, I tertii, post hominum
memoriam, apparatus magna magnificentia, unis iisdemque
solennibus, esse renuntiatos. Nec te, eruditissime M. VVAL-
TERE, fremitus, atque, ita dicere liceat, mugitus nequissimo-
rum hominum, qui VVittebergam oderunt, moueant, neque,
Arnoldi instar, ingrati degenerisque matris huius benignae
filii, poeniteat te, pudeatue, esse amplissimum Ordinis phi-
losophici hic te consecutum decus, VVittebergae dico, ex
qua, uelut ex equo Troiano, innumerabiles prodierunt tui
generis emendatiorum, et sacrorum, et literarum, pro-
pugnatores, quorum uinculum, nullo soluendum modo, in
elucubrata hac dissertatione philologica, eaque, seculari hoc
AVGVSTANAE CONFESSIONIS sacro, ad confir-
mandum fidei Christianae dogma, omnium grauissimum,
publicae eruditorum disceptationi exposita, ostendisti.
Gratulor tibi potius meritis sapientiae, atque ingenuarum ar-
tium, honores, duobus ante annis, inter primos, nobili fra-
trum VVALTERORVM pari, a me impertitos, gratu-
lor eruditionem, uigiliis partam, gratulor hocce singulare
uirtutis specimen, et loco, et tempore, apprime dignum,
gratulor denique, quod primum erat dicendum, tantum
Parentem, cui, secundum Deum, cuncta te accepta referre,
pietas iubet, qui nunc coetui Christi, magna autoritate,
praest, et, immortalis quondam merito, MAVRITIVM
VVILHELMVM, ducem Saxoniae, A. MDCCXVII
puriori religioni nuncium remittentem, altero tamen anno
post, in sinum gremiumque uerae *ἐκκλησίας*, incredibili
orbis sanctioris plausu, redeuntem, Deo, piis precibus,
ceremoniisque, tum Pegauiae, reconciliauit. Vale
et feliciter patrisa.

Wittenberg, Diss., 1730. A-K




TA 70L

mit 14. Stk. bisher verknüpft

v. 178





4870

2434

16

1730

13

13-α

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
D. PAVLLI IVRISPRVDENTIA
SIGILLATIM LOCVM SACRVM
IVSTIFICATIONIS

PENITVS ENVCLEANTE

P. P

PRAESIDE

GEORG. GVIL. KIRCHMAIERO

POTENTISS. SARMATAR. REGIS ET SAXON
PRINCIPIS ELECT. CONSILIARIO
AC PROF. PVBL

RESPONDENTE

M. IO. GOTTLOBIO VVALTERO

PEGAV. MISN. S. THEOL. CVLT

AD DIEM XXVIII IVNI

A. G. MD CC XXX

AVGVSTANAE CONFESSIONIS

ALTERO SECVLARI SACRO

IN AVDITORIO MAGNO

VVITTEBERGAE SAX

EX OFFIC. GERDESIANA